This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE
COLICA
PICTONUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

T. TRONCHIN,

IN ACADEMIA GENEVENSI MED. PROF. COLLEGII MEDICI AMSTELODAMENSIS OLIM INSPECTORIS, ACAD. REG. SCIENT. BEROLIN. &c.

DE

COLICA PICTONUM.

Vidi in arte peritiſſimos huncce morbum non intellexiſſe. Spigel.

AZ 851

GENEVÆ,

Apud Fratres Cramer.

MDCCLVII.

Digitized by Google

BIBLIOTHÈQUE CANTONALE
LAUSANNE
ET UNIVERSITAIRE

S. 5.

Digitized by Google

CELSISSIMO PRINCIPI
PHILIPPO
DUCI AURELIANENSI,
T. TRONCHIN.

HUjuſce libelli, Celſiſſime Princeps, Te fruſtrà Patronum ambirem, ſi Patrocinio indignus eſſet libellus, nec tam audax ſum ut dignum exiſtimem. Animi verò grati leve monumentum Tibi conſecrare, tot in me collata beneficia jubent, Tua, Generoſiſſime Princeps, annuit humani-

Digitized by Google

manitas. Paterno, quem infirmè laudarem, amore, vi mentis propriâ, inſitum viciſti metum, gentilitioſque ſuperaſti terrores, ut atavis Regibus editam Prolem diris eriperes Variolis. Inſitioni à Te, Principum Optime, mihi demandatæ, aſpiravit Deus. Tutâ lenique hâc arte dilectiſſimum Filium omnibus, licet teneris adhuc, virtutibus ornatum, formoſamque Filiam chariſſimam ſervando, timidæ dediſti Galliæ exemplum ſeris nepotibus profuturum. Dubia ſi ſuperſint, delebit dies. Tuum interim immortale Nomen præſens ac futura celebrabit ætas.

Digitized by Google

LECTORI.

AUCTOR.

SI, ineunte praxi, morbus mihi fuerit curatu difficilis, hunc fuiſſe lubens fateor, ac diffiteri puderet. Primi titubantes greſſus, pede vix firmiori præeuntes magiſtri, artis medicæ Principum fatale tyroni ſilentium, ipſa morbi difficultas anxium me ſæpè fecerunt. Frequens erat morbus, rara medicina Amſtelodami. Invitus per mortes experimenta feci, tandem ſenſim

nata methodus facilior tutiorque fuit. Imbecillibus humeris nimiùm gravi, clinicæ valedicens medicinæ, quæ in populoſiſſimâ urbe frequentiſſima me edocuit praxis, mandare chartis animus eſt, fœlix ſi non ſint ludibria ventis, accendantque facem, ne ſaxis mihi toties iniquis, aliorum illidantur naves. Apollini ſacrum quo fruor otium, à turbulentâ praxi liberum, ſparſas ut hodie colligam chartas jubet. Maturè ſolutus equus, ſanus adhucdùm, ſi non peccet, placebit equiti. Si Tibi non diſpliceat, putrem quem ungulâ quaſſit Variolarum campum poſteà recludam.

Digitized by Google

DE COLICA PICTONUM.

CAPUT I.

Dolor ventris, quandò & undè Colicus dictus.

DOlor ventris, eundem licet in ventre non tenens locum, in ipſis ut pote lumbis, quandoque ad Ilia, ſæpè circà Umbilicum, ſæpiſſimè in regione Coli ſæviens, Colicus dicitur. *Dolor ventris colicus.*

Re, non nomine Hippocrati notus, deſcriptus ab eo ſæpiùs videtur, ubi torminum alvi, dolorumque circà umbilicum mentionem facit. (a) *Hippocrati notus.*

Poſt

(a) ἄλγημα περὶ ὀμφαλὸν in ſcriptis Hippocratis paſſim reperitur.

Digitized by Google

A Diocle Caryſtio diſtinctus.

Poſt Hippocratem, Diocles Caryſtius tenuioris inteſtini morbum χόρδαψον, plenioris εἰλεον nominavit. (*a*)

A Caſſio colicus dictus.

Caſſius verò, quem ingenioſiſſimum ſeculi ſui Medicum, dicit Celſus, omnium primus, quantùm novimus, dolorem ventris colicum vocavit, medicamentumque κολικὸν dictum, de quo gloriabatur, invenit, cujus formulam ſervavit Celſus. (*b*)

A Celſo etiam.

Tempore verò Celſi, tenuioris inteſtini morbus εἰλεὸς, plenioris κολικὸς, jam vulgò nominatus fuit. (*c*) Cœliuſque Aurelianus de hoc morbo ſcribens, (*d*) laudat remedia à Themiſone præſcripta, Auguſto regnante.

Imò

(*a*) A. C. Celſi de Medicinâ lib. 4. cap. 13.

(*b*) Ibid. lib. 5. cap. 25.

(*c*) Eodem vocabulo uſus eſt Galenus, uti patet ex lib. 6. cap. 2. de loc. affect.

(*d*) Cœl. Aureliani Morb. Chronic. lib. 4. cap. 7.

Digitized by Google

Imò Philo Tarſenſis Themiſonis coævus, ſuum contra colicum dolorem laudat Philonium. (*a*) *Imò à Philone Tarſenſi.*

Unde patet C. Plinii error, (*b*) ubi dixit, quod Colum vel Colica Tiberii Cæſaris principatû irrepſerit, nec quiſquam id prior Imperatore ipſo ſenſerit, magnâ civitatis ambage, cum edicto ejus excuſantis valetudinem, legeretur nomen incognitum. *Error Plinii.*

Ventris igitur dolor, à Caſſio primò, Colicus dictus, hocce retinuit nomen, Galeno dein, aliiſque poſt illum Artis Medicæ Principibus, ſacrum.

(*a*) Galenum vid. de arte curandi ad Glauconem.
(*b*) Hiſt. Nat. lib. 26. cap. 6.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Dolor Colicus, quando & undè, Pictonum dictus.

Colicorum dolorum variæ ſpecies. HIppocratis cruciatus alvi, doloreſque circà umbilicum, colici poſteà indiſcriminatim vocati, uti patebit, in ſpecies tandem diſtincti, variis temporibus, varia, imò gentilitia accepere nomina.

Quando Pictonum dicti. Sic itaque circà annum MDLXXII. Colicus apud Pictones jam ſæviens dolor, Pictonum deindè nomen accepit, à F. Citeſio Pictavienſi Medico, qui ſexaginta ſeptem poſteà annis, morbi hiſtoriam dedit. (*a*)

Retinuere nomen. Semel acceptum nomen poſteà retinuit, licet tunc Armoricis, Santoni-

(*a*) In Diatribâ, de novo & populari apud Pictones dolore colico bilioſo.

Digitized by Google

tonibus, Engoliſmenſibus, totique fermè Aquitaniæ, æquè ac Pictonibus familiaris eſſet. (*a*)

Licet alibi frequentes. Imò teſte P. Droëto (*b*) ſæviebat tunc in Picardiâ. In Moraviâ etiam, Sileſiâ, maximâque inferioris Germaniæ parte, uti ex Langii epiſtolâ quam de torminibus à febre relictis, ſcripſit, Cratoniſque litteris anno MDLXXXII. de paralyſi ex colicâ, miſſis, conſtat.

(*a*) Vid. ibid. cap. 2.

(*b*) Vid. conſilium novum de peſtilentiâ, auctore P. Droeto anno MDLXXII. ſub finem cap. 5.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Colici apud Pictones doloris deſcriptio.

Colicæ Picto-num de-ſcriptio. EO laborantium, ſidere veluti percuſſorum, vultum decolorabat pallor, frigebant extrema, languebant vires, animus erat inquies, corpus anxium, ſomnus ferè nullus, leipothymiæ, ſeu potiùs cardiogmi frequentes, proſtratus appetitus, cum nauſeâ, ructû, vomitû ærugi-noſæ bilis, ſingultû, ſiti, ſtranguriâ, hypochondriorum æſtu, interdùm ſine febre, ſæpiùs cum febre lentâ.

Ventriculi, Inteſtinorum, Lumborum, Ilium, Inguinum dolor acutiſſimus, quandoque cum alvi fluore, in initio frequenti, licet non copio-

Digitized by Google

copioſo, ſæpè cum ejus adſtrictione. Creſcente morbo, humeri, brachia, mammæ, totumque dolebat pectus, nec deerant quos plantarum pedum, motu adhuc illæſo, crudelis vexaret dolor. Tandem remittente dolore, inopinantium, ac ſeſe melius credentium brachia pedeſque reſolvebantur, ceſſante motu, ſenſu ſuperſtite. (*a*)

(*a*) Vid. Citeſii libr. cit. cap. I.

C A-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Idem Colicus dolor ſæpiùs ante Citeſium deſcriptus.

Colica Pictonum deſcripta à Paulo Æginetâ.

NOſtrâ ætate, dicit Paulus Æginеta, (*a*) colicus quidam morbus homines vexavit, in quo abſoluta motûs privatio in artubus conſequebatur, & maximè in iis qui ſuperſtites evaſuri eſſent. Verùm ſenſus tactûs illæſus conſervabatur, unde ſuâ ſponte rediit pleriſque motus, temporis progreſſû.

Idem Paulus de eodem morbo, alibi verba faciens, (*b*) Colica quaſi peſtifera, ait, quâdam contagione termi-

(*a*) Pauli Æginetæ, de Re medicâ, lib. 3. ſub finem cap. 18. cujus titulus eſt, de reſolutione ex colico morbo obortâ.

(*b*) Lib. cit. cap. 43.

Digitized by Google

terminabatur pleriſque ad morbum Comitialem, aliis ad artuum reſolutionem, ſervato ſenſu; & qui ad Comitialem delapſi ſunt, plerique perierunt, qui verò ad reſolutionem, plerique ſervati ſunt.

Similis in Haly Abbate Colici doloris datur deſcriptio, (*a*) accidit autem ſæpiùs in Colicâ paſſione & enervatio quorumdam membrorum evulſio; cùm morbus cretico finitur modo - - - vidi nonnullos colicam patientes gravem, difficilis nocumenti, quorum utrumque evulſum eſt genu, quorumdam autem & genu unum & ancha, vidi & cui ſcapulæ motus omninò ceſſavit, ſc. ſenſus erat bonus. *Ab Haly Abbate.*

Hujus filius Avicenna dixit, (*b*) *Ab Avicennâ.*

B &

(*a*) Haly Abbatis Liber totius Medicinæ, lib. 9. cap. 8. Lugdun. MDXXIII.

(*b*) Avicennæ lib. 3. fen. 16. tract. 3. ſub finem cap. 6.

Digitized by Google

& Colica quidem multoties permutatur ad paralyſim, & ſanatur per eam . . . & quandoque ſimiliter ſanantur per dolores juncturarum.... dicit & alibi, (*a*) fit fortis punctio, & fit quaſi perforetur venter ejus terebello, aut quaſi ſit abſconſa in inteſtinis ejus acus, ſtans, & quoties movetur dolet, & fit fortis ſitis, & non ſatiatur habens eam, licet bibat plurimum, quoniam, quod bibitur non penetrat ad hepar, propter oppilationes accedentes in orificiis Meſeraicarum &... de ventre habentis colicam, egrediuntur ſquibalæ, ſicut ſtercora ovium, vel ſicut ſtercora caprarum.... & frequens fit vomitus cholericus, quoniam via choleræ ad inteſtina ſecundùm plurimum conſtringitur, quare expellitur ad ſuperiora.

Colica

(*a*) Ibid. cap. 7. ubi de ſignis colicæ.

Digitized by Google

Colica paſſio, dicit Conſtantinus Africanus (*a*) nimius eſt dolor quem patitur inteſtinum, quod vocatur Colon: Naſcitur ex humoribus craſſis & phlegmaticis, qui clauduntur in Inteſtini panniculis.... ſivè de acuto & pungitivo aliquo humore... quia Inteſtina quaſi terebello ſunt perforata... oportet autem intelligas quia paſſio colica in dolorem arteticum ſe mutat. *A Conſtantino Africano.*

Colica, juxtà Johannem à Gaddesden, aliquando terminatur in paralyſim, aliquando in arthriticam, aliquando in Epilepſiam. (*b*) *A Johanne à Gaddesden.*

Alii inſuper cruciatus, ait Fernelius (*c*), quâdam ſimilitudine & vehemen- *A Fernelio.*

(*a*) Conſtantini Africani Medici Operum pars 2. lib. 9. cap. 29. de colicâ paſſione.

(*b*) Vid. Roſam Anglicam cap. 20. Venet. MDII.

(*c*) Joh. Fernelii Patholog. lib. 6. cap. 10.

Digitized by Google

hementiâ Colici nuncupantur, quibus tamen non in Colo inteſtino ſedes eſt, ſed vel in peritonœo, vel in membranis quæ abdomini ventriſque partibus obtenduntur. Hi ſanè graviſſimi ſunt & admodùm diuturni, ac neque clyſteribus, neque Medicamentis, neque fomentis, neque iis remediis quibus qui verè ſunt Colici dolores, deliniri ſolent. Eorum materia aut flatus eſt tenuis, aut humor acerrimus & æruginoſus, membranarum ſpaciis concluſus, è quibus detrahi vix poteſt.

Ab Hollerio. Quod autem à Veteribus ſcriptum eſt, dicit Hollerius (*a*), Colicum dolorem tranſire in paralyſim, id rarum apud nos, familiare quibuſdam populis ut Britonibus. Sacerdoti

(*a*) Jac. Hollerii, De morbis internis lib. 1. cap. 41. in ſcholiis Hollerii.

Digitized by Google

doti cuidam annorum XL. ex aſſiduo prope dolore colico paralyſis nata, dolorem ſolvit, ſed manſit paralyſis annis aliquot.

Hinc ſpontè patet error Riolani, (*a*) Citeſium incuſantis, quod ante Milonem Henrici IV. archiatrum, Colicum iſtum dolorem, Medicis Pariſienſibus ignotum eſſe dixerit. Ex Fernelio atque Hollerio didicerat Citeſius, nomine Colici nothi, dolorem iſtum fuiſſe deſignatum qui in paralyſim deſinit. Morbus hic, uti obſervat ipſe Riolanus, populis Lutetiæ vicinis Melodunenſibus jamdudùm fuerat endemius, Medicisque notus ante Citeſium. *Error Riolani.*

Neque inficias ibit querela Salmaſii (*b*), dolore colico Lutetiæ laboran- *Querela Salmaſii.*

(*a*) Vid. Joh. Riolani fil. Animadverſ. in Anatomiam Laurentii, in cap. de inteſtinis.
(*b*) De annis climactericis. pag. 731.

borantis ; ubi Medicorum quorum popoſcerat opem, nullus ex ſymptomatis conjectari, nomenve ipſius morbi dicere potuit, excepto Citeſio qui colicam Pictonicam eſſe pronunciavit, Salmaſiumque priſtinæ ſanitati reſtituit. Hodie enim, uti tempore Salmaſii qui morbum ne nomine quidem cognoſcunt procul dubio Medici dantur.

A Droeto. Colicus dolor, ait Droetus, (*a*) hoc anno fuit reverâ epidemius, & exitioſus, omnes enim facti ſunt paralytici, vel epileptici, ex his non pauci interierunt, vel in ipſâ acceſſione, vel paulò poſt, quemadmodum in ædibus noſtri Mecænatis, & in Cœnobio Caſæ Dei, obſervavimus, non potuerunt enim Virgines hujus Cœnobii aliter ſibi ſalutem

(*a*) Vid. loc. cit.

tem quærere quàm fugâ & loci mutatione. Ante quindecim annos iſte Tyrannus Cives noſtros ſolos opprimebat, præteritâ tamen hyeme, totam hanc viciniam occupavit, ut anno MDLIV. Abbevillæ graſſabatur.

Anno MDLIX. narrat Foreſtus, (*a*) Prætor Leydanus dolore colico, & perpetuo cruciatus, vigiliis & nervorum contractione laborabat, nec clyſteribus, nec anodynis, nec ſtupefacientibus levari potuit, ceſſavit tandem dolor, ſuperſtite crurum brachiorumque contractione. *A Foresto.*

Narrat etiam Foreſtus (*b*) Alcmarianum colico laborantem dolore, licet poſtea remittente, in paralyſim manuum incidiſſe, è leviſſimâ

(*a*) Vid. P. Foreſti obſervat. & curat. medicinal. lib. 21. obſ. 15.

(*b*) Ibid. lib. 21. obſ. 5.

Digitized by Google

cauſâ dolorem recruduiſſe, nec ceſſaſſe paralyſim.

A Platero. Iliacus quoque dolor, ait Platerus, (*a*) potiùs quàm Colicus, quamvis ſic vulgò nominetur, ſævus diùque durans, gravia inferens ſymptomata oritur : quando nimirum, ſicuti longâ obſervatione cognovimus ſignisque certis deprehenditur, bilis in inteſtinorum ſubſtantiam ſe inferens... illa vellicat, rodit, uritque.... Quod & cauſa eſt, cùm hoc fit, quod hærente illic bile diutiùs, vel continuò de novo affluente, dolores adeò pertinaces, diuturni, & qui licet mitigentur, mox tamen redeant.... A quibus gravibus noxis, cùm Inteſtina quæ nervoſa ſunt nimiùm offenduntur & ſollicitantur, ner-

(*a*) Vid. Fel. Plateri Praxeos Medicæ Tom. 2. cap. 13.

Digitized by Google

nervoſo genere tunc compatiente, præſertim ſi bilis ſpinæ dorſi illic ubi Inteſtina Meſenterii beneficio adhærent, ad illiûs medullam uſque pertingat, illamque ſimul afficiat.... Convulſiones tandem, & paralyſes fiunt.

Incredibile dictû dicit Ballonius, (*a*) quantis doloribus venter imus torqueatur injectis clyſteribus non ſolvuntur, medicamentis paulò vehementioribus irritantur. Primus noſtrâ memoriâ Fernelius obſervavit ſæpenumerò cruciatus excitari qui quâdam ſimilitudine, & vehementiâ Colici nuncupantur, quibus tamen, non in Colo inteſtino ſedes eſt, ſed vel in peritonæo, vel in membranis quæ abdominis ventriſque partibus obtenduntur, non clyſteribus, non medicamentis leniuntur. *A Ballonio.*

Vidi

(*a*) Vid. G. Ballonii Conſiliorum Medicinalium conſil. 5.

A Spigelio. Vidi in arte peritiſſimos, dicit Spigelius (*a*), huncce morbum non intellexiſſe: Modò infrà umbilicum, modò ſuprà, vel circùm, vel ad latera, verſùs Ilia & Lumbos, modò vero per totum ventrem ---- tunc ſe extendit dolor ſæpiùs ſuprà umbilicum, & circà ventriculum, per tranſverſum, ad inſtar cinguli, utrumque cingens atque coarctans hypochondrium. . . Alvus fit dura & clauſa, præſentes in Recto fœces, primum plerùmque educit enema, ſecundum nil præter mucum à tunicâ internâ Recti abraſum. Recidivæ ſat certum ſignum, pondus eſt ſive moleſtia, quam tamen ſine dolore ſentiunt ægri, & circà Lumbos, & per tranſverſam regionem Epigaſtricam, ab aſſumpto cibo ma-

(*a*) Vid. Adr. Spigelii, de febre ſemitertianâ lib. 4. cap. 13. & 14.

Digitized by Google

major fit.... Urina fit acris, unde ardor calculum mentiens, quem errorem dolor lumborum, vomitusque confirmant. Præterea ſentitur ab ægris amaror oris, ſitis, inappetentia, pulſus arteriarum, ſubſultus interni, tremores, vigiliæ, calor præcordiorum ſæpè cum febriculâ continua... quæ ſi diù nimis duret, ad tabem deducit ægros, quam præcedunt, comitantur, ſequuntur Epilepſia, Apoplexia, Convulſio, Paralyſis.

Sunt enim, ait Rodericus à Fonſeca (*a*), non parùm affines Colicus dolor & Paralyſis, quia per tranſmutationem fit tranſitus alterius ad alterum, & frequentiſſimè in Germaniâ ex dolore colico fit paralyſis. *A Rod. à Fonſecâ.*

Jaco-

(*a*) Vid. Roder. à Fonſeca Conſult. Medic. Tom. 2. conſult. 57.

Digitized by Google

A Jac. Cahagneſio. Jacobus Cahagneſius edidit anno MDCXVI. libellum, cui titulus, Brevis faciliſque methodus curandarum febrium, cujus calci adjecit peculiare Caput de Colicâ Pictavenſi.

A Sennerto. Talis Colica, dicit Sennertus (*a*), anno MDCXXI. ineunte vere, in Sileſiâ, in Ducatû Teſchinenſi graſſata eſt epidemicè. Capitis dolor præibat colicum, hunc ſubſequuti ſunt dolores dorſi, pedum, omniumque ferè exteriorum partium, alvus dura omnibus reſiſtebat catharticis, & ſi cederet, mox durior fiebat, cum appetitûs proſtratione ac vomitû. In arthritidem nonnunquàm, ſæpè in paralyſim aut epilepſiam abibat. Epileptici ferè omnes moriebantur, emergebant Paralytici. Coli

(*a*) Vid. Dan. Sennerti Practicæ lib. 3. part. 2. ſect. 2. cap. 2. de colicâ ab humore acri & ſcorbutico.

Digitized by Google

Coli dolorem, in reſolutionem nervorum tranſire præſertim in regionibus ſeptentrionalibus obſervaverat Nicolaus Piſo. (*a*) *A. Nic. Piſone.*

Carolus verò Piſo (*b*) Nicolai filius, anno MDXCVI. Cardinalis Lotharingiæ juſſu Cœnobium adiit Belliprati, explorandæ Religioſorum valetudinis ergò, ibi nonnullos invenit abdominis cruciatibus vexatos, cum tanto alvi ſtupore, ut nihil prorsùs emitteret, alios autem iſtis doloribus jam liberatos inveteratâ paralyſi, emortua penè brachia ſcapulis alligata gerentes, quoſdam inſuper epilepticis inſultibus, lethargo, aliove ineluctabili ſopore oppreſſos. Septennio poſt, aliud adivit *A Car. Piſone.*

(*a*) Vid. Nic. Piſonis, de morbis cognoſcendis & curandis lib. 3. cap. 20.

(*b*) Vid. Car. Piſonis obſervat. & conſilior. ſect. 4. cap. 2.

Digitized by Google

ivit Cœnobium, ubi plures iiſdem torquebantur doloribus, nec pauci ceſſere fatis: dolores cum paralyſi commutarunt nonnulli. Hoc autem ſæpiùs videtur in Lotharingiâ, & Melunenſibus familiaris eſt hæc mutatio.

A Fr. Citeſio. Tandem Pictavenſis, Regius dein Medicus, Franciſcus Citeſius, anno MDCXXXIX. Diatribam (*a*) edidit, de novo & populari, apud Pictones, dolore colico bilioſo, ubi de ortû, ſignis, cauſis, curâque morbi doctè diſſeruit, morboque hactenùs notho, nomen quod habet, dedit.

A Beauvallio. Nec ità diù poſt Rupellenſis Pharmacopœus nomine Beauvallius, è Citeſii diatribâ, gallicum confecit libellum, ubi præter idioma mutatum, nil novi reperitur.

CA-

(*a*) Hæc diatriba cum opuſculis Medicis edita, typis mandata eſt Pariſiis, anno MDCXXXIX.

Digitized by Google

CAPUT V.

Colicus dolor Pictonum poſt Citeſium rarò deſcriptus.

UNiverſum ferè, poſt Citeſium, de iſto dolore colico, ſilentium, mirum videbitur Medicis qui morbi frequentiæ, pertinaciæ, atque ſævitiæ gnari, non ignorant quàm ſit ipſiûs curatio difficilis. *Poſt Citeſium ferè ſilent auctores.*

Fruſtrà enim in nonnullis qui morbum tamen viderunt, aliquid rè dignum perquiritur. Teſtis eſto Sydenhamus. (*a*)

Ità ut ſi è Medicorum, poſt Citeſium, turbâ, ſeptem vel octo excipiantur qui de hoc morbo loquuti ſunt,

(*a*) Vid. Proceſſ. integr. de colicâ Pictonum.

Digitized by Google

ſunt, tres quatuorve in vivis ſoli ſunt qui de eo expreſſè verba fecere. Boerhaavius enim oratione, non ſcriptis de eo diſſeruit.

Excepto Riverio. Proximus Citeſio Riverius, dixit (*a*) quod bilis per vaſa inteſtinorum effuſa in eorum tunicâ, iiſque imbibita, dolores acerrimos excitat, facitque Colicam Veteribus parùm notam, eo transfertur à cyſtide felleâ vel meſenterio, in criſi diuturnâ febrium, aut à vehementi iracundiâ, aliâque cauſâ externâ, quando propter obſtructiones ad vias communes effundi non poteſt, ſed motû præpoſtero ad prædictas abdominis membranas excutitur. Hinc dolor crudeliſſimus, colicum imitatus, qui tamen neque clyſteribus,

(*a*) Vid. Lazari Riverii Praxeos Medicæ, lib 10. cap. 1.

Digitized by Google

bus, neque fomentis, neque aliis remediis cedit, ad plures menſes perſeverans. Contabeſcit corpus, febris moleſtat lenta, tandemque remittentibus doloribus, ſuccedit paralyſis humore illo per abdominis membranas in ſpinam dorſi ſenſim irrepente. Illa paralyſis partes ſuperiores magis afficit, crura vero plerùmque dolent in Cerebrum irrumpens interdùm bilis, convulſiones epilepticas facit.

Narrat Wepferus (*a*) miſerum per duodecim annos carceratum colico dolore, brachiorumque pareſi laboraſſe, undè digiti manuum incurvi remanſerunt, alvo ſuppreſſâ protinùs ventris dolore torquebatur: A pareſi, ſine magno tamen medicamentorum apparatû ſanatus, ferè *Wepfero.*

C ſem-

(*a*) Vid. Joh. Jac. Wepferi hiſtor. apoplect. hiſt. 13.

ſemper poſteà de dolore tenſivo præcordiorum, conqueſtus eſt. Plures in Cœnobiis vidit hoc morbo afflictos, quorum umbilicus ſæpè dorſum verſùs trahebatur.

Vidit & plures colicâ bilioſâ affectos, pareſi tandem laborantes, in Alſatiâ, ad lacum Acronium, in Ducatû Wurtembergico. (*a*)

Williſio. Affectioni Colicæ, dicit Williſius, (*b*) crebrò ac graviùs obnoxii, demùm paralytici evadunt. Caſus adeò frequens hîc, ut morbi ſucceſſio, hujus, inter illiûs prognoſtica habeatur: Nam qui tormina in ventre, aut paroxyſmos atrociores, per intervalla redeuntes, pati ſolent, tan-

(*a*) Vid. in Ephemerid. Nat. cur. ejuſdem Joh. Jac. Wepſeri obſ. 39. ann. 1670. de pareſi poſt colicam ex vino.

(*b*) Vid. Thom. Willis, de animâ brutorum, part. patholog. cap. 9.

Digitized by Google

tandem in habitû Corporis, ac membris, dolores vagos, dein ſtupores, denique nec rarò reſolutiones ſubeunt... Videntur nonnunquàm febres epidemicæ, quarum colicus dolor ſymptoma fit pathognomicum, poſtquàm in ventre aliquandiù ſæviit, ſæpenumerò lumbos, morboque ingraveſcente, membra ac muſculos ferè omnes in toto Corpore laceſſit, tandemque nec rarò in paralyſim terminatur.

Colicâ quam Pictonicam appellant, laborans æger, incidit in paralyſim, artubus marceſcentibus, clinicus evaſit, in initio, ait Muſgravius, (*a*) dolores aderant erratici rheumatiſmum mentientes; Dolor iſte vagus tandem in fixum mutatus, tumore rubore articulorum, *Muſgravio.*

(*a*) Vid. G. Muſgrave, de arthritide ſymptomaticâ cap. 10. hiſt. 4.

Digitized by Google

verè arthriticus evaſit, & quod mirum, hâcce depoſitâ materie, artus per decennium flaccidi, tantùmque non mortui, floridi, omnia vitæ vegetæ indicia dederunt.

Scheuchzero. Narrat etiam Scheuchzerus (*a*) quod in Angelimontano Cœnobio, colica ſæviebat ſpaſmodica, morbus admodùm rarus, curatû pertinax, qui totum ferè corripuit monaſterium. Dolor erat colicus verus, contumax, Colum, inteſtina etiam tenuia, occupans, ubi ſedatum, facilè recidivans, vomitus erat frequens, proſtratus appetitus, obſtructa alvus, flatus crebri, ardores præcordiorum, dolores artuum urentes, primò ſuperiorum, inferiorum denique; Pareſis brachiorum cum

(*a*) Vid. Joh. Jac. Scheuchzeri Itiner. Alpin. it. I. ann. 1702.

Digitized by Google

cum reſpiratione aſthmaticâ, ſenſûque ponderis pectori incumbentis.

In tenuioribus, dicit Hoffmannus (a), acutiores ſunt quàm in craſſis inteſtinis dolores, hînc ad umbilicum peſſimi, undè Iliaci ab Hippocrate dicti, nulla de Colicis factâ mentione, nunc Colici dicuntur, qui cum horrore, tremore, frigido ſudore, virium proſtratione, inquietudine, corporis jactatione, anxietate, ſingultû, vomitu, alvo conſtipatâ, teneſmo, urinæ ſupreſſione, ſpaſmo veſicæ, febri, pulſû contracto, ſpirandi difficultate, quandoque delirio, atque convulſionibus epilepticis, tandem extremorum paralyſi, ſunt. In hoc dolore

 coli-

(a) Vid. Frid. Hoffmanni Medic. Ration. ſyſtemat. Tom. 4. part. 2. ſect. 2. cap. 5.

Digitized by Google

colico, ventris arctior fit compreſſio, ac umbilici introrsùm retractio; alvus eſt conſtipatiſſima, ut neque flatus tranſmittat, neque clyſterem facilè recipiat; Adeſt ſimùl ingens in lumbis dolor, ipſumque peritonœum, muſculique abdominales violenter contrahuntur.

Fortè & Kæmpfero. Nonne ejuſdem indolis Japonum ille Colicus dolor quem deſcribit Kæmpferus (*a*), adeò apud eos familiaris, ut è decem adultis, rarò unus ſit qui eo non laboret, nec parcit itinerantibus, ſi modò Cereviſiam Sakki dictam bibant. Senki vocatur morbus qui inteſtina lancinando, motus convulſivos excitat. Hujus affectionis genius eſt, quod abdominis muſculos, & membra-

(*a*) Vid. Eng. Kæmpferi, Amœnit. exotic. faſcic. 3. obſ. 11.

Digitized by Google

branas vellicet. Creduntque Japones cauſam hujus morbi, non intrà cavum Inteſtinorum, ſed in ipſâ ſubſtantiâ membranoſâ muſculorum abdominis, peritonæi, omenti, meſenterii, inteſtinorumque latitare.

An illi ſimilis, colicus dolor quem deſcribit Linnæus (*a*) quo ſylvatici laborant Lappones, Ullem vel Holme dicto: Circà regionem umbilici corripiuntur inteſtina diriſſimis ſpaſmis, qui ſe extendunt ad pubem uſque, parturientium multò vehementioribus, ità ut miſer Lappo, vermis ad inſtar, repat per terram. *Linnæo.*

Neque ſilentio prætereundus eſt colicus morbus Damnonienſis, cujus hiſtoriam dedit Huxhamus (*b*), non *Imprimis verò Huxhamo.*

(*a*) In Flor. Lappon.

(*b*) Vid. Joh. Huxham; de morbo colico Damnonienſi, ad calcem obſervationum de aëre & morbis epidemicis.

Digitized by Google

non novus equidem, uti credere ſinit deſcriptio Huxhami, cùm jam anno MDCCII. mentionem hujus fecerit Muſgravius, viginti & ultrà annis poſteà, apud Damnonios ſæviit, angore ventriculi, ſummo cum dolore ſtipatus in Epigaſtrio; pulſus erat debilis, inæqualis; ſudor frigidiuſculus, lingua obducta; fœtens habitus. Subſecutus eſt vomitus nunc virideſcentis nunc atræ bilis, maximâ acidæ lentæque pituitæ concomitantis copiâ; Poſt diem unam alteramve, adſtricta admodùm fiebat alvus, nec catharticis, nec aliis medicamentis cedens: Vomitû paululùm imminuto, in regione umbilici, lumbis, ſpinâque dorſi, ſæviebat dolor, nephriticum mentiens, cum urinæ ſuppreſſione, imò cum ponderis ſenſû in peritonœo. Urina multùm deponebat, abdomen

Digitized by Google

men ſæpiùs durum, quandòque ſpaſmo contractum; Sæpè dolor fixus vehemens, urens, in dextro hypochondrio; in Epigaſtrio magna ſæpè pulſatio; alvinæ fœces duriſſimæ, globoſæ, parvæ; teneſmus verò permoleſtus. Remittentibus iſtis paululum doloribus, novus per totam ſpinam, humeros, inter ſcapulas imprimis ſæviebat, brevique brachia invadens, manuum motum deſtruebat. Femora & crura etiam dolebant; dúmque ab inteſtinis ad artus peteret morbus, febricula aderat, quandoque cum delirio, & ſi per totum morbi decurſum, urina eſſet pallida ſine ſedimento, diſtentio fiebat nervorum, miſerumque ſolamen doloris, paralyſis. Nec ſemper præibant colici dolores, artuum ſæpè præcedebat dolor; tandem accedebat pareſis.

Hux-

Digitized by Google

De Colicâ Pictonum ſcriptores.

Huxhami opuſculum anno MDCCXXXIX. prodiit.

Sexcennio poſt ſuum de Colicâ Pictonum edidit Cl. de Haen (*a*).

Tredecim annis poſteà de hoc morbo Tentamen evulgavit Opt. Graſhuyſius (*b*). Equidem non æquo Marte certaverunt.

(*a*) A. De Haen Medici Haga - Batavi Diſſertatio de Colicâ Pictonum. Hag. Comit. 1745.

(*b*) De colicâ Pictonum Tentamen, actore J. Graſhuyſ. Amſtelod. 1552.



CA-

CAPUT VI.

Doloris Colici, hodie Picto-num dicti, deſcriptio.

OMnis dolor colicus in epilepſiam vel paralyſim deſinens, nothus olim dictus, poſt Citeſium, dolor colicus Pictonum vocatus eſt; nullâ habitâ ratione ipſius cauſæ. Medici dein in arte exercitati, nomen hoc, ante natam paralyſim, vel epilepſiam, dederunt etiam colicis doloribus è quibus oriri ſolent, ſive naturâ ſuperentur, vel arte præcaveantur. *Colicæ Pictonum phænomena.*

Dolorem ferè ſemper præit, ad minimum per aliquot horas, ſæpiſſimè per aliquot dies, ponderis ſenſus atque moleſtiæ, vel in regione epigaſtrica, vel in umbilicali, quan-

doque

Digitized by Google

doque ſed rariùs in hypogaſtricâ, nec hujus moleſti ponderis ſenſûs immunia ſunt hypochondria, eo imprimis dextrum ſæpiùs afficitur, afficiuntur & lumbi, omniaque viſcera ſolito minùs libera ſentiuntur. Mens futuri mali quaſi præſcia triſtior fit, nec tàm facilis reſpiratio frangitur ſubindè ſuſpiriis. Minùs fulgent oculi, vultus ipſe palleſcit. Leves tunc oriuntur dolores in initio non continui, nec à moleſtiæ ſenſû facilè diſtinguendi. Appetitus fit minor, plerumque major ſitis. Uti poſt nimium paſtum, naſcitur & hîc ſenſus repletionis moleſtæ, ſed quæ non eſt expers doloris. Alvus fit ſenſim durior, urina parcior, faſtidium majus, increſcit nauſea cum doloribus qui mox continui fiunt. Ructibus prægreſſis nauſeæ ſupervenit Vomitus, levans pro momento

Digitized by Google

to dolorem, ſed qui mox recrudeſcens, cum pari anxietate crudelior factus, totum exagitat corpus, nec ſomno refici ſinit.

Abdomen tunc, imprimis verò umbilicus, adhærens quaſi vertebris, intrò trahitur. Febricula fit cum pulſû contracto, jactatione corporis, anxietate majori, ſingultû, teneſmo, urinæ ſuppreſſione, ſpaſmo veſicæ & ani, qui intùs etiam ſic retrahitur, ut ne flatus quidem emittat, clyſteremve facile recipiat. Corpus emaciatur, ſenſimque marceſcit. Vox quæ fit debilior, aſpera, rauca, in aphoniam ſæpè perfectam deſinit.

Præter Colicos, artuum urentes fiunt dolores, ſuperiorum prius, inferiorum denique; leniores & tunc, ſenſimque, fiunt ventris dolores. Hoc levamine deceptus æger, futuram quum ſibi promittit ſalutem, voluntati

Digitized by Google

tati minùs obſequioſos perſentit ar-tus, qui intrà breve tempus, tandem paralytici fiunt. Nec unicus hîc eſt miſerandi morbi exitus, ſæpiſſimè enim difficiliore factâ reſpiratione, tinnitus aurium, tenebras oculis offundens nubecula, igniculive ante eos volitantes motus epilepticos miſeris inopinantibus prænuntiant, omnibus externis, interniſque ſenſibus deletis, totum his convellitur Corpus: Nec tam diù plerùmque durant in morbo Comitiali vero, Convulſivi motus. Hos vidi, dictû mirum, per octodecim horas, poſt colicos furores, uno tenore durantes in Viro Patritio G. Piſonis pronepote, qui tunc tamen convaluit. Videram & ultrà quadraginta horas continuas, in Conſulari Viro qui obiit. Hicce, octiduo, ante obitum, Hydrophobus jacuit.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Colici Doloris Pictonum Cauſa Proxima.

DOcuit obſervatio medica, colici hujus doloris remotam, poſteà examinandam, multiplicem dari cauſam, atque ut proxima conſtet, priùs eſſe notandum, contentas in abdomine partes, atque continentes omnium corporis humani partium, ditiſſimas nervis, doloris etiam capaciſſimas eſſe. Harum nervi ab origine mirè, uti patebit, producti, expanſi, diviſi, retiformes, coëuntes, iterùm diviſi, cùm omnibus aliis conſentiunt; hinc ſympathici fuerunt nominati. *Cauſæ proximæ deſcriptio.*

Inter minimum quippe horum ramuſculum & omnes, inter omnes,

&

& minimum datur conſenſus.

Nervi itaque per omnia ſparſi Viſcera ubique illa penetrant, nec datur punctum ubi deſint, in partibus imprimis quibus inhærent corporis radices. Indè ſtupendus nervorum apparatus in inteſtinis, atque meſenterio, illorum interiori membranæ villorum, papillarum, ſphincterulorum, infinitum ferè numerum impertiens, huic vero plexus mirabiles, ſenſum, conſenſum, motumque facientes.

Hi nervi in Viſceribus, imprimis verò in Inteſtinis atque Meſenterio, ubique præſentes, quas irradiant partes, doloris capaciſſimas efficiunt. Et hîc doloris Colici Pictonum proxima cauſa quærenda eſt. Irritati nempè atque criſpati nervi phyſicam nanciſcuntur diatheſim, quâ ſenſus doloris naſcitur in mente. Si fugax

Digitized by Google

fugax non ſit ipſa diatheſis, ſed diuturnitate ipſius cauſæ, ſubſiſtat, in conſenſum trahit nervos irritatis nervis conſentientes, pertinaxque irritatio tandem afficit omnes: Fiunt tunc motus ſpaſmodici, convulſivi, epileptici, paralyſis, coma, lethargus, apoplexia, deſiderandaque mors ærumnarum finis.

Interim actione nervorum activæ partes organicæ, horum diuturno ſpaſmo paſſivæ factæ, omnium ſecretionum atque excretionum organa inania reddunt; Nerveis laqueis conſtricta vaſa nec accipiunt nec emittunt, eademque cauſa quæ exhalationem impedit, inhalationi obſtat. Siccæ ſic partes atque exſuccæ criſpantur, quo foveantur deficit mador, nec datur mucus, quo lubricentur; uti vaſa, hærent glan-

Digitized by Google

dulæ, nec quem non acceperunt cryptæ, blandum eructant humorem.

Sic Corporis exſiccantur radices, tandemque doloribus fractum, nutriri deſuetum, marceſcit, pellis oſſibus hæret.

CA-

CAPUT VIII.

Colici Pictonum doloris Cauſæ Remotæ.

COlici verò Pictonum doloris cauſa proxima effectus eſt unius pluriumve cauſarum remotarum, quæ attentâ morbi obſervatione ad ſequentes redigi poſſunt. Hæc verò ſunt. *Cauſa remota octo.*

I. Reliquiæ febrium imperfectâ criſi ſolutarum, vel non benè curatarum.

II. Venena.

III. Vini, potûſque acido-auſteri fermentati, acidorumque immaturorum nimius uſus.

Digitized by Google

IV. Arthritis ac Rheumatiſmus.

V. Impedita perſpiratio.

VI. Scorbutus.

VII. Melancholia.

VIII. Animi pathemata.

CA

Digitized by Google

CAPUT IX.

Cauſa remota prima. Reliquiæ febrium imperfecta criſi ſolutarum, vel non benè curatarum.

HÆc cauſa Fernelio, aliiſque, olim optimè nota, hodie frequentiſſimè occurrit. Diuturnis febribus, dicit (*a*), ſuccedunt Colici cruciatus, aliiſque bilioſis morbis, quorum eſt difficilis ſolutio; Natura quippe criſim, noxiique humoris depulſionem in alvum molita, quum nuſquàm vacuandi viam promptam, & expeditam nanciſcatur, illum è venis & viſceribus, in mem- *Cauſa 1a. remota optimè nota Fernelio.*

D 3

(*a*) Vid. Fernelii loc. cit.

Digitized by Google

membranas ſæpè avertit, ubi dolores exſurgunt morbo ipſo graviores. Obſervavit & continuas & tertianas, ſæpiùs verò quartanas febres hiſce doloribus terminari, qui diù circuitû certo exacuebantur, paremque acceſſionum ordinem retinebant.

Nec ignota Ballonio.

Nec fuit ignota Balſonio (*a*) qui hanc poſt diuturnas febres ſæpiùs vidit, ubi nimirùm humor acer atque æruginoſus, diù in viſceribus hærens, inuſitatam tandem viam in abdominis ſpatium aut in peritonæum ſibi patefacit. Hoc imprimis obſervavit in illis, qui febris diuturnitate pertæſi, hancve naturam illicò reſcindere conati, inito cum mulierculis, præſtigiatoribus, circulatoribuſve conſilio, motum impetum-

(*a*) Vid. Ballonii loc. cit.

petumque materiæ impediebant; reſumptis poſt fallaces inducias viribus, furibunda iterùm ſe quaquaversùm inſinuat, facitque dolores priore morbo deteriores.

Hanc verò Spigelius (*a*), poſt febres imprimis Hemitritæas, optimus omnium notavit, quum natura bilioſam ad Inteſtina deponens materiem, tentat criſim verèque criticos, ſub fine febrium, facit dolores; ſed criſim abſolvere impar, noxios equidem movet, nec expellit humores, non modò quia eos digerere nequit, verùm etiam propter conſtrictas partes atque obſtructas, bili putridæ exitum negantes. Superveniens ideò alvi fluxus ſolvit, intempeſtivè cohibitus, facit dolorem. *Uti & Spigelio.*

(*a*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

Nec non Car. Piſoni. Illam poſt tertianas febres obſervavit Car. Piſo (*a*), vidit & ſupervenientem continuis. Ter tianâ laborabat juvenis, incidit in continuam, ſupervenerunt ventris dolores, quadraginta diebus durantes, brachiorum prædixit paralyſim, octiduò antequam accederet.

Plures etiam quartanarios iiſdem doloribus affectos anno MDCXVII. vidit (*b*).

Citeſio. Sub finem æſtatis, dicit Citeſius (*c*), febres bilioſæ intermittentes, vel non curatæ, vel nullâ excretione judicatæ, in dolores iſtos degenerant.

Riverio. Obſervat idem Riverius (*d*) dicens bilim per vaſa inteſtinorum, in

(*a*) Vid. libr. cit. obſ. 4.
(*b*) Vid. ubi ſuprà.
(*c*) Vid. libr. cit. cap. 5.
(*d*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

in eorum tunicis, effuſam, iiſque imbibitam dolores acerrimos excitare, eò, in criſi diuturnâ febrium, à cyſtide felleâ vel meſenterio, tranſlatam.

Nec dubitat Williſius (a) colicam diatheſim febribus intermittentibus diuturnis & continuis, malè judicatis frequenter ſuccedere, porrò nonnunquàm febres epidemicas increbeſcere, quibus colicus dolor ſymptoma quaſi pathognomicum adhæret. *Williſio.*

Anno MDCCXXVII. Amſtelodami ſæviit bilioſa febris adeò lethalis, ut peſtis modò non æmulam, peſtem dixerint exteri; Cortice Peruviano ſopita, turgente putridâ bile, meſenterium membranaſque inteſtinorum adeò infecit, ut Colicus Picto- *Poſt annum 1727. frequens Amſtelodami.*

(a) Vid. libr. cit. cap. 15.

Pictonum dolor prægreſſæ febris ſymptoma pathognomicum fuerit. Hujus reliquiæ per annos adhucdùm ſævientes Medicis familiarem fecere morbum, utinàm & ſanationem! Miſeri tunc ſæpiùs viſi ſunt ſuperſtites per vicos veluti larvæ, arte quaſi progredientes, exſangues, pallidi, manibus incurvis, pendulis, cum voce clangoſâ, debili; nec deerant aphoni.

Sequentibus annis, novæ febres imprimis autumnales, mitiùs licet epidemicæ, iiſdem doloribus ſtipatæ, frequentem vixque interruptam obſervandi occaſionem dedere, crudeliſque morbus, multis iniquus, nec generi, nec facundiæ, nec pietati pepercit.

Obſerv. 1a. Vidi Conſularem Virum, hodiè ut olim bonis omnibus carum, nullique ſecundum, faſcibus, quamvis ne-

neceſſitate temporum depoſitis, virtute ſuâ involutum, poſt tertianam, vermis ad inſtar, humi repentem.

Senatorem vidi Prætoris fungentem munere, tertianâ etiam prægreſſâ, ſimilibus vexatum doloribus, manibus pedibuſque reſolutum; Cujus Pater, Senatorii etiam ordinis, antè XXV. annos, poſt bilioſam febrim continuam iiſdem doloribus fractus, uti filius, fuit reſolutus. Poſt hemitritæam, crudeles iſtos vidi dolores pertinaciſſimos, in Nobili viro Præpotentium Fœderatæ Belgiæ ordinum, ad Regem Chriſtianiſſimum delegato. *Obſerv. 2a.*

Eoſdem vidi in Senatore Amſtelodamenſi ad Collegium Architalaſſicum legato, peſſimâ bilioſâ hemitritæâ prægreſſa. *Obſerv. 3a.*

Vidi & poſt quartanam Cortice Peru- *Obſerv. 4a.*

Peruviano ſuppreſſam in optimo Mercatore, qui ventris priùs, mox artuum doloribus ferè enectus, tandem paralyticus evaſit, at notatû dignum, cineri doloſo ſuppoſitus ignis, poſt tres quatuorve Menſes iterùm erumpens febris, primam ſanationis ſpem dedit. Poſt ſimilem febrim à ſimili cauſâ atrociſſimos Colicos dolores convulſivos vidit Bauerus (*a*).

Obſerv. 54. His omnibus nunc vegetis, nil niſi memoria miſeriarum ſupereſt. Utinam & Nobili juvenum pari ſupereſſet, quorum immaturam mortem deflent adhucdùm Ampliſſimi Parentes, Patriæ Patres. Utriuſque bilioſa febris tertiana priùs, mox hemi-

(*a*) Vid. Act. Phyſ. Med. Germanorum, Vol. 3. obſ. 70. pag. 218.

Digitized by Google

hemitritæa, Medicorum ſapientiam illudens, in colicos deſiit dolores verè crudeles, quos, in conſilium tandem accitus, in utroque vidi, momento ferè temporis, è Meſenterio ad os ſacrum petentes, horrendos poſt Epilepticos motus, in lethalem lethargum deſinere.



CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Cauſa remota Secunda.
Venena.

Cauſa 2a. remota optimè nota Fernelio.

ARthritico, narrat Fernelius (*a*), plumbi pulveris ſeſquilibram, loco ſacchari, in juſculis exhibuerat Empiricus, intrà quindecim dierum ſpatium duodecimo die incepit dyſenteria crudelis, febre ſtipata, cum graviſſimis non modò ventriculi, ſed & abdominis torminibus; Illius tanta fuit diſſolutio, nec non oris læſio, ut blandiſſimum equidem contactum haud ferre valeret, tantaque erat ructuum copia, ut in flatus mutari omnia viderentur: Dyſen-

(*a*) Vid. Joh. Fernelii, de Lue Venereâ, cap. 7.

Digitized by Google

ſenteriâ ſanatâ graves ventriculi, ventris, lumborumque cruciatus, viginti dies perſeverarunt, cum moleſtiſſimo interni caloris ſenſû, totidemque noctes egit inſomnes, nec reſpondebat alvus, niſi cathartico ſollicitata aut clyſtere, ſursùm deorſùmve evacuatæ fæces, plumbeo erant omnes infectæ colore. Totum interim Ictero fœdatum fuit corpus, & hæc omnia mala pondere minùsquàm occultâ plumbi malignitate facta ſunt.

Cortici Peruviano reſiſtebat Quartana, Saccharum Saturni per aliquot dies exhibitum fuit, concentrato, ut ipſe fatetur Ettmullerus (*a*) fugatoque fermento febrili, Colica facta eſt Convulſiva. *Ettmullero.*

Ange-

(*a*) Vid. Mich. Ettmulleri Colleg. Conſult. caſ. 26.

Digitized by Google

Scheuchzero. Angelimontani Cœnobii (*a*) Religioſos propè omnes ſpaſmodica Colica corripuit, furentes artuum dolores pareſi ceſſere, tanti mali cauſa quæſita eſt, purum erat vinum, puriſſima aqua. Sed culinæ vaſa, ſive ad ſervandos ſive ad parandos cibos, cuprea erant, nullo obducta ſtanno. Quàm nocivæ ſint partes vitriolicæ Cupri, cum cibis perpetim ingeſtæ, quis non novit?

Hoffmanno. Immanes colicos dolores à fumis Saturninis ore hauſtis, atque cum ſalivâ deglutitis, benè deſcripſit Hoffmannus (*b*), in illis imprimis qui plumbi mineras tractant, ac calcinant, plumbumve ab argento in docimaſticis furnis ſeparant, ut in Herciniâ fit ubi morbus iſte familia-

(*a*) Vid. Joh. Jac. Scheuchzeri loc. cit.
(*b*) Vid. Frid. Hoffmanni loc. cit.

Digitized by Google

miliaris eſt. Dolor eſt intolerabilis, alvus conſtipatiſſima, umbilicus introtractus, inquietudo ſumma, artuum tractio, nauſea ac vomitus; in pareſim, paralyſim veram, vel aſthma ſpaſmodicum abit dolor, diùque miſeros torquet ægros.

Ejuſdem generis dolori, Figuli qui vaſa figulina vitro ex plumbo obducunt, obnoxii ſunt. Teſtantur quoque obſervationes practicæ, quod Medicamenta Saturnina, quibus Agyrtæ in Gonorrhœâ ſanandâ utuntur, invincibilem alvi ſtricturam, cum immanibus torminibus relinquunt.

Vir triginta annorum, in minerarum plumbi calcinatione Saturninos vapores, ſapore dulces, inſpiravit; poſtridiè intolerabilis circà umbilicum factus eſt dolor, cum pertina- *Obſerv. 1a.*

Digitized by Google

ciſſimâ alvi adſtrictione. Supervenerunt nauſeæ, vomitus, cardialgicæ anxietates, geliduſque ſudor: Non ità diù poſt ſiniſtram manum, cum motûs impotentiâ, affecit dolor.

Obſerv. 2a. Juvenis Gonorrhœâ laborans, ab improvido tincturæ antiphtiſicæ, pro baſi Saccharum Saturni recipientis, uſû, in contumaciſſimam adſtrictionem alvi, cum utriûſque manûs paralyſi, incidit.

Obſerv. 3a. Juvenem vidi Gonorrhœâ etiam laborantem, qui præ pudore adierat Agyrtam, ac per XXI. dies, duos quotidie è Saccharo Saturni ſumpſerat pulviſculos, poſt adſtrictam alvum, in colicos dolores incidit tàm atroces, ut convulſus ſæpiùs, tandem omnibus membris fuerit reſolutus. Utrumque habui confitentem reum.

Vidi

Digitized by Google

Vidi & Matronam ante duodecim annos, quæ hæmoptoe levi laborans Saccharo Saturni per longum tempus, parvâ licet doſi, ſed ſæpè repetitâ, internè fuerat uſa, pallidam, tumidam, debilem, tremulam, manibus tandem reſolutam. *Obſerv. 4ª.*

Quales verò ac quàm peſtiferæ intra Venas metallicas recondantur noxæ, quotidiè experiuntur minerarum foſſores, qui dyſpnoeæ, phtyſi, cachexiæ, artuum tremoribus, colicis doloribus, paralyſi obnoxii ſunt, & licet horum pulmones maximè afficiantur, minerarum effluviis intrà vitæ hoſpitia admiſſis, cerebrum ac nervi adeò læduntur, ut tremores, ſtupores ac paralyſes peſſimi oriantur. Nec mirum quod ad mineras damnentur rei. Peſſimæ autem, ſi ſiccæ, ſiquidem agitatus pulvis foſſionibus, aſperamque pe- *Peſſimæ in fodinis.*

netrans arteriam, parit in pulmonibus vitium quod Aſthma vocatur, cum ſalivâ deglutitus colicos dolores, atque paralyſim ſæpè lethalem. Nec mirum quod in mineris dentur mulieres quæ ſeptem nupſerint viris, quos omnes venenati halitus immaturâ morte afficiunt. Tales in Fodinis Carpati Montis, viduas vidit Agricola (*a*). Imò animalia iſto veneno infecta, plerùmque turgeſcunt, mox motum amittunt, tandemque ſine ſenſû pereunt. Miſeri in mineris foſſores quotidie videntur è puteis, ſcalarum gradibus aſcendentes, ubi virus ſumpſit incrementum, in puteos rursùs decidentes, præ manuum inertiâ, ac reſolutione pedum.

Sic

(*a*) Vid. G. Agricolam de Re metallicâ lib. 6. pag. m. 172.

Digitized by Google

Sic Figuli plumbo uſto ac calcinato utentes ad vitreanda vaſa, dùm plumbum terunt, liquatove plumbo vaſa, antequàm fornacem indantur, obliniunt, quod virulenti ineſt aquâ liquatum, aut ſolutum, naribus, ore, totoque inhalant corpore, in manuum tremores incidunt, moxque paralytici fiunt. *Ac in plumbi officinis.*

Nec mirum quod adeò funeſtum Corpori ſit plumbum licet non deglutitum, quum obſervaverit Boyleus (*a*) argentum ipſum vivum, temporis ferè momento, plumbi fuſi vapore figi, ac ſolideſcere. Quid non efficiet, ſi lapideâ contritum molâ inhaletur; ſanguinem tunc & ſpiritus figit. *Mira obſervatio Boylei.*

Nec fortunata magis Pictorum ſors, *Sors miſera Pictorum.*

(*a*) Vid. the philoſophical Works of Rob. Boyle vol. 1. pag. 89.

Digitized by Google

ſors, qui plerùmque valetudinarii, raró diù vivunt. Internis externisque orbatus ferè ſenſibus, tantùm non mortuus vixit Correchius. In flore juventæ è vivis divinus ereptus fuit Raphael. Horum miſerias efficit quam tractant Colorum materia, Minium, Cinnabarum, Ceruſſa, Vernix, multaque ex variis foſſilibus pigmenta: Ex Mercurio fit Cinnabarum; Ceruſſa ex Plumbo; Viride Æris è Cupro; Argenti Soboles eſt Ultramarinum, ſicque omnis ferè colorum materia, ex Mineralium claſſe deſumitur, cùm metallici colores ſint vegetabilibus longè præſtantiores. Haud igitur mirum, ſi Pictores iiſdem ac Metallurgi, morbis laborent. Omnes pari ratione decolorati, pallidi, exſangues, iiſdem doloribus, miſeriiſque obnoxii, iiſdem afficiuntur motibus convulſivis, tandem & paralyſi.

Pictor

Digitized by Google

Pictor Andegavenſis XXX. annos natus, firma corporis conſtitutione, manuum digitos ſolitô graviores, torpidiores, ægriùſque mobiles primò percipiens, hos contrahi convellique ſenſit, donec incurvi, penitùs ſine motû manerent; Carpum atque brachia pervaſit affectio, ſublatâque incedendi potentiâ, pedes idem vitium ſenſere, tamen ſine magno dolore, qui in ventriculo atque hypochondriis, nullo auſcultans medicamini, diu noctuque ſæviit, compreſſione ſolâ mitior erat. Ad Cinnabarum quo utuntur Pictores, morbum referebant Medici, ſicque per tres annos excarnificatus, exſanguis, tabidus obiit miſer. In aperto cadavere tantorum malorum cauſa fruſtrà quærebatur, cum enim penicillum non digitis modò, ſed incautus ore quoque detergeret, in-

Digitized by Google

explicabili vitio, atque malignâ oculos fugiente qualitate, acceptum Venenum Membranas intùs infecit, crudeliumque dolorum cauſa occulta fuit (*a*).

Miſerrimi qui pigmenta præparant. Quamplùrimos tales vidi miſeros, verùm obſervavi omnium miſerrimos eſſe qui pigmenta ipſi præparant, in ſubtiliſſimum enim atque impalpabilem pulverem contrita pigmentorum materies, fertur in aera, inſpirata pulmones, deglutita ventriculum vi venenatâ afficit.

Inſpiratæ Ceruſſæ triſte exemplum. Nunquàm excidet memoriâ triſtis quem, inter plures, jam antè ſex annos, vidi, caſus. Vir ſaniſſimus, juvenis, corpore gaudens Athletico, licet periculi non ignarus, intrat incautus Moletrinam, ubi ceruſſa contere-

(*a*) Vid. Joh. Fernelii De lue Venereâ cap. 7.

terebatur, vix horulam conſtitit, calidus erat aër & ſiccus; domi redux, primâ die, de levi anxietate pectoris conqueſtus, ſequenti die nauſeoſus, præcordiorum anxietatem perſentit, alvus priùs dura, cum doloribus ſenſim increſcentibus, clauſa mox evaſit. Vomitus ferè perpetui ſubſecuti, intrà paucos dies, unà cum doloribus colicis in pareſim deſierunt.

Virum Nobilem vidit Mercurialis (*a*) utriûſque manûs ac brachiorum inſigni imbecillitate vexatum, ab aſſumpto ante ſex annos Antimonio. *Idem effectus ab Antimonio.*

Ab eâdem cauſâ, anno MDCCXXXIX. Manuum crurumque vidi pareſim, in Germano Chirurgo, *Repetita obſervatio.*

(*a*) Vid. H. Mercurialis Conſult. Medic. Tom. 3. conſult. 136.

Digitized by Google

rurgo, qui navigans, conſilio ſocii Societatis Indiæ Orientalis Chirurgi, per plures ſeptimanas, aliquot grana Antimonii crudi quotidie ſumpſerat, haud ſine ſuſpicione veneficii. Pareſimi præceſſerant Colici dolores, qui leves, poſt ſanationem, per breve tempus redierunt.

Triſtis effectus aquæ ceruſſâ imprægnatæ. Nec minùs infælices qui aquam plumbo divitem bibunt. Plumbeis ædes tectæ laminis, ubi pluvialis ſola bibitur, in ciſternis collecta, vel in plumbeis ſervata vaſis, quod peſſimum, frequentiorem multò faciunt morbum: & hæc eſt ratio quâre inſolitus olim colicus dolor, graſſetur nunc Amſtelodami. Tegulis anteà tectæ, hodie plumbo teguntur ædes, ſupernè olim declives, nunc planæ. Volitantia ſub finem Autumni folia decidua, viridarium enim crederetis urbem, ventis in

Digitized by Google

in tecta feruntur, macerata ibi aquâ ſtagnante, hanc inficiunt acore, quo ſolutum plumbum in Ceruſſam abit, ad ciſternam dein rapitur imbre, ſic ſenſim inficitur aqua. Nec mirum ſi in aliis locis ubi deficit plumbum, arboreſque deſunt, minùs frequentes ſint colici dolores. Hìnc intelligitur quâre ſi cadentibus foliis tenues nullæve ſint auræ, ſi cautè ligno tegatur plumbum, ſalubrior aqua ſit.

Fidem obſervata merentur, vidi malum in integras ſæviiſſe familias. Undecim in unâ domo uno tempore decumbentes, horrendis cruciatibus convulſi, membris ſoluti, mutato tecto, renovatâ aquâ, convaluere.

Vini ceruſſâ aut lithargyrio adulterati.

Idem pariunt effectum vina ſaccharo Saturni vel lithargyrio adulterata, Rhenana imprimis ac Moſella-

ſellana, hocce artificio fulgentiora colore, leniora ſapore, tantò certiùs nocent, quò tectiùs gratiùſque adulterantur.

In Ducatû imprimis Wurtembergico.

Jam ab anno MCCCCXXXVII. ubi Rhenanæ ad maturitatem non pervenerant uvæ, vinaque acida auſtera dabantur, lucri cupidus œnopola hâc arte doloſâ illa gratiora guſtû, ſanitati verùm inimiciſſima fecit. Subſequentibus annis fraus eadem hînc indè viguit. Triſtes tandem ejus effectus in Ducatû Wurtembergico, Ulmæ, aliiſque juxtà Danubium locis, anno MDCXCVI. obſervaverunt Brunnerus, Gockelius (*a*), atque Camerarius (*b*), imò à Sereniſſimo Duce, decimo Aprilis ejuſ-

(*a*) Vid. Ephem. Nat. Cur. Dec. 3. ann. 4. 5. & 6. ibi Brunneri ac Gockelii obſervata reperiuntur.

(*b*) Vid. diſſert. paretico - epilepticam.

Digitized by Google

ejuſdem anni, ſancita fuit lex, fraude lethiferâ reos morte plectens. Integra religioſis ferè orbata monaſteria erant, ſuperſtites hominum umbræ, non homines, decolores, pallidi, elumbes, pendulis artubus reſoluti, tantùm non mortui ſpirabant.

In Sueviâ.

Nec Sueviæ peperciſſe nocivam artem anno hujus ſeculi ſeptimo dilucidè docuit Zellerus (*a*), maledicto, inquit, artificio, Lythargyrio, vel Saturni Saccharo, immatura acido-auſtera vina, grata, atque dulcia reddunt, iſtâque dulcedine fictâ generoſiora reddunt. Frequentiſſima ab iſto vino nata Symptomata fuere, colica convulſiva, tuſſis, aſthma, halitus ſtercoraceus, alvi con-

(*a*) Joh. Zeller & Imm. Weiſmann. Docimaſia, ſigna, cauſæ & noxa vini Lithargyrio mangoniſati, Tubing. 1707.

Digitized by Google

conſtipatio, pareſis, arthritis, convulſiones tandem quas mors excepit.

In pluribus aliis locis. In Germaniâ natam, transmiſſam in Belgiis, ubique dein diſſeminatam, nimis hodie notam, fatalem vidimus artem. Ad fores ipſas aulæ Chriſtianiſſimi Regis, anno hujus ſeculi quadrageſimo nono, triſtiſſimè ſæviit. Plures tunc Prætoriani milites, colicis doloribus convulſivis enecti occubuere.

In Coloniâ Surinamenſi. Nùm ab eâdem causâ endemia nunc in Coloniâ Surinamenſi Colica Pictonum, Africanis parcens, Europæos torquens? ſuſpicionem veroſimilem facit, à quadraginta retrò annis immoderatus vini Gallici uſus, hoc ſoli madent Europæi. Sub circulo æquinoxiali facillimè aceſcens Burdigallenſe vinum, quod

quod bibunt Coloni, iniquâ conſervatur arte. Hoc utique verum, ubi Maderenſe bibitur, endemius non fit colicus dolor, nec membra ſolvuntur. Simile quid olim in Helvetiâ obſervaverat Wepferus (*a*), plures in aliquot Monaſteriis vidit colicis doloribus diſcruciatos, qui propinato vino ſalubriore, nulliſque inquinamentis propemodum venenatis adulterato, ſaniores vivebant, rariùſque cruciatus iſtos perpetiebantur.

(*a*) Vid. Joh. Jac. Wepferi hiſtor. apopleꝺt. hiſt. 13.

CA-

CAPUT XI.

Cauſa remota tertia.

Vini potûſque acido-auſteri, fermentati, acidorumque immaturorum nimius uſus.

Cauſa 3ᵃ. remota cognita Spigelio. HÆmitritæam in colicum dolorem transmutatam ad XXIV. annos protractam vidit Spigelius (*a*), ſingulis ferè menſibus recrudeſcentem, auſteri vini ſobolem.

Car. Piſoni. Anno MDXCVI. juſſû Cardinalis Lotharingiæ Cœnobium Belliprati adivit Car. Piſo (*b*), explorandæ Religioſorum valetudinis ergò, plures graviſſimis colicis doloribus vexatos

(*a*) Vid. loc. cit.
(*d*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

xatos invenit, tanto cum alvi ſtupore, ut nihil prorsùs emitterent, crebri erant vomitus, creberrimi ructus, febricula erat pertinax, doloribus liberati emortua penè brachia homoplatis alligata gerebant, alii epileptici erant, nonnulli lethargo, ſoporeve ineluctabili opprimebantur, mero plus ſatis dediti ac otioſi.

Septennio poſt aliud adivit Cœnobium opulentiſſimum; plures ibi erant Religioſi, rationis victûs non diſſimiles, vanum veneficium, non victum accuſantes, quâ in re dein ſententiam mutarunt qui ſobrii poſteà evaſerunt, quum multi antè fatis ceſſiſſent. Soli Presbyteri qui lautè vivebant affecti ſunt, adoleſcentes abſtemii benè valebant.

Obſervaverat Sennertus (*a*) in Mora- *Sennerto.*

F

(*a*) Vid. loc. cit.

Moraviâ, Auſtriâ, Franconiâ, aliisque nonnullis locis, ubi vina fortia, ac tartarea in uſû ſunt, familiares eſſe colicos dolores in paralyſim, arthritidem, epilepſiam, tranſeuntes.

Vina enim, inquit, Colicæ etiam cauſæ ſunt, non modò quatenùs fœces alvinas retinent, ſed potiùs inteſtina contrahendo, undè fit motus inverſus quo omnia evomuntur. An hîc agunt adſtringendo & mordicando uti vitriolum & alumen. Tunc fortè humores, qui exhalari deberent, retenti ad venas regurgitant, vel ad caput ruunt, & convulſiones excitant, vel ad extrema Corporis & paralyſim procreant. Talis colica anno MDCXXI. ineunte vere in Sileſiâ, in Ducatû Teſchinenſi epidemicè graſſata eſt: epileptici ferè omnes erant, emergebant paralytici.

Co-

Digitized by Google

Colicis doloribus imprimis obnoxios mendicantes Fratres credidit Citeſius (*a*), utpote vina acida auſtera hînc indè conquiſita bibere coactos. Anno MDCXIV. in Novallio Cœnobio Pictonico, tredecim Patres, erant verò tantùm tredecim numero, intrà menſem gemebundi, dolentes, in ventrem proni, ſuas dolebant vices, Pictonicum accuſantes Cœlum generoſis aſſueti vinis acerbiſſimum biberant album. Cœlo potuque mutatis, ſanati ſunt. *Citeſio.*

Ejuſdem frequentis in Moraviâ morbi eandem cauſam incuſat Cratoto (*b*) anno MDLXXXII. *Cratoni.*

Meminitque Cardanus (*c*) colici doloris non ventrem ſolùm, ſed *Cardano.*

 pectus

(*a*) Vid loc. cit.

(*b*) Vid. Cratonis epiſtol. Medicin. Conſil. 10. & 11. epiſt. 3. & 4.

(*c*) Vid. Cardani Conſil. pro dolore vago.

Digitized by Google

pectus etiam, dorſum & cervicem, cum ingenti cordis palpitatione, afficientis, acerbi auſterique vini ſobolis.

Wepfero. Similem effectum acerbi auſterique vini in Monaſteriis obſervavit Wepferus (*a*). Noſtrates, inquit, multò ſaniores rubrum benè maturum plerumque bibunt. Rari etiam apud Scaphuſanos convulſivi motus, ubi è contrà bibitur album vix fermentatum, frequentes dantur.

Monaſterium erat in viciniis, ubi Patres album bibebant auſterum, horum nemo ferè malum effugit.

Muſgravio. Colicæ Damnonienſis, nuper ab Huxhamo tàm pulchrè deſcriptæ, verba brevia facit Muſgravius (*b*), hanc acre facit pomaceum, ſi quidem

(*a*) Vid. loc. cit.
(*b*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

dem eos huîc aſſuetos ſolùm afficit, annis hoc potû divitibus graſſatur, Pomonâ negante vix datur.

Kæmpfero. Adeò immitem Japonibus colicam quam Senki appellant, ut illam è decem adultis vix unus effugiat, cerevifia facit Sakki dicta, ſimul ac hanc bibunt, teſte Kæmpfero, iiſdem doloribus torquentur advenæ. Ex orizâ cocta ad vini generoſitatem haud frigidè bibitur, at modicè calefacta ſorbillatur.

Huxhamo, qui Colicam Damnonienſem graphicè depinxit. Muſgravii Damnonienſem colicam graphicè depinxit Huxhamus (*a*). Apud Damnonios ſæviit anno MDCCXXIV. angore ventriculi ſummo cum dolore in Epigaſtrio ſtipatus, pulſus erat debilis, inæqualis, ſudor frigidiuſculus, lingua obducta, halitus fœtens, ſubſecu-

(*a*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

ſecutus eſt vomitus nunc virideſcens, nunc ater, acidâ lentâque comitante pituitâ. Poſt unam alteramve diem, adſtricta fiebat alvus, nec catharſi nec emetico fortiori cedens. Vomitû paululùm imminuto in regione umbilici, lumborum, atque ſpinæ dorſi ſæviebat dolor mentiens nephriticum, cum ſenſû ponderis in perinæo hærebat urina, ſi flueret craſſa. Abdomen erat ſæpiùs durum, tenſum, quandoque ſpaſmodicè contractum. Dolor in hypochondrio dextro, tumido, duro, fixus ac urens. Pulſabat ſæpè Epigaſtrium. Fœces alvinæ duriſſimæ, globoſæ, parvæ, quandoque tandem ſanguine tinctæ, teneſmum excitabant. Remittentibus paululùm iſtis doloribus, novi per totam ſpinam inter ſcapulas ſæviebant, nec immunes erant humeri, brachia mox manuſque motû care-

Digitized by Google

carebant. Femora ac crura dolebant, artuum vix aderat rubor tumorve. Dùm ab inteſtinis ad artus reperet morbus aderat febricula, quandoque cum delirio. Si ſine ſedimento per morbi decurſum pallida eſſet urina, nervorum diſtentio, delirium, manuumve paralyſis erat. In hocce ſtadio, ſudor multus, fœtidus, acidum ſpirans, leniebat dolores. Nonnulli ſudore longo, remanente tactû, manuum uſum penitùs amiſere. Miſerorum ſolamen erat paralyſis, pedum motû ſuperſtite. Ubi cum ſudore erumpebant puſtulæ, rubræ, prurientes, urentes, evaneſcebat dolor, optimuſque erat morbi exitus. At plerùmque colicum dolorem Rheumatiſmus, Rheumatiſmum excipiebat colicus dolor, morbo nunc ad artus, nunc ad inteſtina tranſlato. Recrudeſcebat im-

primis, leviſſimo frigore, Cereviſiâ, vel pomaceo. Icterus nonnunquam ſolvebat morbum. Nec ſemper præïbant colici dolores, artuum ſæpè primi erant dolores, vomitus dein, ventriſque cruciatus, tandem accedebat pareſis. Nonnulli epileptici facti occubuere, plures tamen emerſere. Cauſa morbi fuit, maxima hoc anno pomorum copia, tanta ut pomis veſcerentur porci, qui contabuere. Ad pomaceum ſervandum deficiebant vaſa. Pomis pro victû, pomaceo pro potû, non multùm cariore aquâ, neſcia periculi affatim uſa eſt plebecula. Qui iſtis abſtinuerat nemo morbo fuit correptus, parcè viventes non attigit.

Annis MDCCXXII. ac XXX. etiàm pomiferis, dolores iidem ſæviere, hos fœlix ſuperveniens diarrhœa, cauſam per alvum protinùs ejiciens, levavit. Po-

Digitized by Google

Pomorum ſuccus recèns expreſſus eſſentiali ſale gaudet acido, tartaro dicto, quantò acerbior fructus, tantò craſſiorem ac copioſiorem ſalem habet, uti in vinis Rhenanis atque Moſellanis videre eſt, tartarum uti pomacea magna copiâ deponentibus. Utriuſque muſta rheumaticis, arthriticiſque nocent, nec impunè bibuntur. In dies creſcit malum, ubi acidulorum potuum vinorumque creſcit uſus.

Succi pomorum crudi malè fermentati vel defœcati, in primis iterùm fermentant viis, aëre ditiſſimi illas diſtendunt, nec illo aëre elaſtico solùm nocent, vi inſuper ſtimulante ac abſtergente ſummâ gaudent, muſto abluti, uti ſapone, denudantur ferè digiti. Blandus, quo internæ defenduntur membranæ, ſapo-

ponaceis iſtis ſuccis abſtergitur mucus, hînc diarrhœa, cholera, vomitus, dyſenteria, poſt horum nimium uſum adeò frequens.

Deterſo muco tunicam obliniente villoſam, nudi irritantur nervi furente periſtaltico motû, foràs ejicitur hoſtis, vomitus fit, alvuſque fluit, fauſto plerùmque omine: ſi verò hæreat utrimque, criſpato nimium inteſtinali tubo, dolor fit atrox, tantaque vis Tartari immiſcetur ſanguini ut acore redundet, nullibi blandus generatur mucus, acri humore vellicantur nervi, omnia rigeſcunt, mobilitas perit, convelluntur nervi, motus oriuntur epileptici, totum concutitur corpus. Ipſa tunc corrumpitur bilis, quæ acida domare deberet domatur ab acidis, atque in coagulum abit, in jecore ſtagnans

Digitized by Google

ſtagnans omnia peſſundat, novaque fit irritans cauſa. Multùm interim patiuntur Epigaſtrii atque Meſenterii arterioſa vaſa nervorumque ibi hærentes plexus. Stagnans acerrima bilis omnia rodit, uti mammam ſtagnans blandus depaſcitur humor, rejecta, inſtar ſpiritus vitrioli, ipſa metalla rodit.

Vidit Huxhamus (*a*) cochleare argenteum inditum ore, atro infectum colore, juvenis erat ſucco limonum ſaturati, colicis indè ac rheumaticis doloribus cruciati. Bilis igitur acerrima, fota calore, tandem liqueſcens in ſanguinem rapta, vel in inteſtina effuſa, nervos irritando, ipſa cerebri vaſcula rodit, dolores immanes, ſpaſmos pertinaces, horren- *Obſerv.* 14.

(*a*) Vid. ubi ſuprà.

Digitized by Google

rendaſque facit convulſiones.

Obſerv. 24. Anno hujus ſeculi quinquageſimo Senatorem vidi hodie incolumem, bilim, neſcio cur, vincere cupidum, ſucco nimio citri ferè enectum, languit diù, exſanguis, pallidus, cacheticus, colicique ſenſim oborti dolores, ſummas poſt anxietates, in pareſim deſiere.

Obſerv. 34. Succus ille ſpiritui vini, oryzæ, vel Sacchari, nuptus, Saccharo licet edulcatus, ac aquâ dilutus, liquorem præbet gratiſſimum, nervis tamen inimicum, expertis credite Colonis Britannis atque Batavis huic in Americâ indulgentibus. Vidimus & ipſi ante aliquot annos, Hagæ-Comitum imprimis, ac Amſtelodami, à nimio tunc in uſû hocce potû, ſævientes colicos dolores in pareſim ipſam deſinere.

Nec

Digitized by Google

Nec his immunes ſunt teneræ Virgines acida appetentes : plures vidi cruciatibus diris enectas ferè, ac horrendè convulſas. Nunquàm excidet memoriâ fatalis caſus puellæ quæ errore pharmacopolæ drachmam ſpiritus vitrioli loco ſpiritus citri in medicato potu infælix biberat, nil tam dirum fuit, quod non perpeſſa ſit.

CAPUT XII.

Cauſa remota quarta.

Arthritis ac Rheumatiſmus.

Cauſa 4a. remota non ignota Conſtant. Afric. Joh. à Gaddeſden. Dureto.

JAm olim dixerat Conſtantinus Africanus (*a*) paſſionem colicam in dolorem arteticum mutari.

Annoque MCCCXX. Anglicam qui Roſam ſcripſit, Joh. à Gaddeſden (*b*), colicam in arthritidem quandoque terminari obſervavit.

Hoc idem vidit Duretus (*c*), qui illam arthritidis aliquando prænunciam dixit.

Laurentio.

Vidit etiam And. Laurentius (*d*) colici

(*a*) Vid. loc. cit.
(*b*) Vid. loc. cit.
(*c*) Vid. loc. cit.
(*d*) Vid. Andr. Laurentii Quæſt. Anatom. lib. 4. quæſt. 8.

Digitized by Google

colici in arthriticum, arthritici in colicum dolorem, tranſmutationem fieri.

Dixerat autem Hippocrates (*a*), qui articulari morbo detentus, inteſtini dolore vexabatur leviùs habebat, ubi verò hic morbus fuit curatus, magis dolebat; quod etiàm repetit in libro de Humoribus, Humoribus ad inteſtina depoſitis mirum non eſt articulorum dolores levari, ut & iis curatis iterùm articulorum dolores ingraveſcere.

Idem adnotavit Rod. à Fonſeca; (*b*) Degenerat, inquit, aliquando arthritis in colicam paſſionem, & tunc dolor arthriticus ſedatur, contrà ſedato colico affectû, urget arthritis. *Rod. à Fonſeca.*

Dixit-

(*a*) Vid. Epidem. lib. 6. ſect. 4.
(*b*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

Mercu-riali. Dixitque Mercurialis (*a*), à doloribus colicis in articulares tranſitum fieri, dùm humor ab inteſtinis ad articulos fertur.

Muſgravio. Erraticis doloribus, rheumaticos mentientibus, Muſgravii (*b*) laborans æger, prægreſſis colicis doloribus incidit in pareſim. Vagi dolores facti ſunt arthritici, tumuere, rubuere articuli, quod mirum hâc depoſitâ materie, artus per decennium ſine ſenſû doloris, flaccidi, caruere motû, patiens cœterùm ſaniſſimus erat, Agyrtæ conſilio reſoluta membra unguento perfricta fuere, aſthma ſuperveniens occidit ægrum.

Obſerv. 14. Ab arthritide natam Colicam Pictonum, imò plures eodem morbo in eâdem

(*a*) Vid. loc. cit.
(*b*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

eâdem familiâ decumbentes vidi. Vir Conſularis præſidis munere ſæpiùs functus, bonis omnibus carus, arbitrio quamvis popularis auræ è ſede pulſus, par nobile fratrum, ſororque Conſuli nupta, arthritidis vagæ miſeræ victimæ, pari ratione, immanibus prægreſſis colicis doloribus, omnes in pareſim cecidere.

Fratris junioris conjux, virtutibus nemini ſecunda, diù nimiùm in eodem lecto cum infœlici jacens marito, eodem etiam ſimillimis ſymptomatibus ſtipato, affecta eſt morbo. Hos toties vidi doloribus dilaceratos, membris ſolutos, humi repentes, arthriticis inſultibus ſemper levatos. Tribus ſuperſtitibus, verè epileptici occubuere duo. *Obſerv. 2ª.*

De marito in uxorem, de uxore in maritum tranſlatam tragœdiam *Obſerv. 3ª.*

Digitized by Google

ſæpiùs vidi. Concubare vetant viſa.

Arthritidis cauſæ. Impedita ſæpè perſpiratio, repetitus Mercurii uſus, immoderata Venus, nimium vinum, frequens catharſis, animi pathemata, triſtitia imprimis, prætimendæ in hoc caſû arthritidis cauſæ principes videntur.

Ejus effectus. His enim vitiatum ſubtiliſſimum liquidum, vaſis minimis nerviſque deſtinatum, mirè nocivam adipiſcitur acrimoniam, quæ ſi Cerebrum petat, apoplexias, paralyſes, deliria, debilitates, ſopores, tremores, convulſiones; ſi pulmonem aſthma, tuſſim, ſuffocationes; ſi interiora thoracis, convulſivam pleuritidem; ſi viſcera abdominalia, nauſeas, anxietates, vomitus, ructus, tormina, ſpaſmos, iliademque malorum colicum dolorem Pictonum concomitantium, crudelis efficit.

Arthri-

Digitized by Google

Arthritidi agnatus Rheumatiſmus. Arthritidis agnatus morbus Rheumatiſmus, humorum acrimoniæ, victûs lautioris, calefacti corporis ſubitò frigefacti, impeditæ perſpirationis plerumque ſoboles, ſi lumbos occupat, lumbaginem, ſi coxam, iſchiaticum dolorem, ſi inteſtina, colicos facit dolores. *Obſerv. 44.* Nidulatus ibi poſt ſimilem miſeriarum ſeriem, horrendoſque cruciatus in pareſim, uti arthritis in inteſtinis, deſinit. Toties vidi miſeros, doloribus vagis rheumaticis diſcruciatos, colicis dein crudeliſſimis tentatos. Illi quandoque alternabant, evanidis externis, ſæviebant interni, quibus levatis viciſſim recrudeſcebant externi. Extremorum tandem paralyſi evaneſcebant omnes. Hoc ſæpiùs vidi. Bis in anno, ſtato ferè tempore, pedes atque crura ſapientis viri Indiæ Orientalis Moderatoris rheumaticus aſ-

Digitized by Google

ficiebat dolor, poſt aliquot dies miteſcens, ad inteſtina ſubrepebat, colico dolore convellebatur.

CAPUT XIII.

Cauſa remota quinta.

Impedita Perſpiratio.

Cauſa 5a. remota vix obſervata.

IMpedita perſpiratio vulgaris dùm ſit cauſa Rheumatiſmi, hicce verò, uti mox patuit, colicos ſæpiſſimè faciat dolores, inter diſtinctas colicæ Pictonum cauſas, vix erat recenſenda. Hanc etiam videtur præteriiſſe Citeſius, in indagandis cauſis perſpicax tamen & accuratus, licet obiter dixerit poſt abolitum pellitarum veſtium uſum morbum frequentiorem evaſiſſe.

Attamen frequens.

Mihi in frequentiſſimâ praxi toties

ties occurrit Amſtelodami ut nullus dubitem quin ſit cauſa morbi reverâ frequentior ac vulgò creditur.

Nec ſolum externum Corpus omni momento expirat, internum etiam perſpirat, internæ enim partes uti externæ, tenui, volatili de ipſis exhalante madent rore, sìc ut omnis ſuperficies, omnium partium latens patenſque, reverâ cribriformis omni momento exhalet. Notandum tamen eſt, exhalantem in corporis externâ ſuperficie inſenſibilem vaporem, ſivè è cute propriè dictâ, vel ex epithelio erumpat, excrementitiam eſſe; in maſſam ſanguinis repercuſſa, hanc inficit acrimoniâ quæ blandos inquinat humores, fitque irritationis cauſa miros in æconomiâ animali edens effectus.

Rem in aprico poſuit Sanctorius

rius (*a*), qui arte ſuâ ſtaticâ ad ſervandam, reſtituendamque ſanitatem mira præſtitit.

Impedita igitur iſta perſpiratio acerbiſſimos ſæpè facit morbos, diris ſtipatos doloribus.

Obſerv. 1ª. Ante quatuordecim annos optimum virum, ſanum, vegetum, Commercii poſteà Orientalis moderatorem, è lecto calentem, matutinum urens momorderat frigus, ſolutâ veſte nimis arctâ incautus exierat, in regione epigaſtricâ obortus dolor tàm atrox evaſit, ut omnibus perpeſſis Colicæ Pictonum miſeriis, manuum pedumque reſolutione lugens tentatus fuerit.

Obſerv. 2ª. Fidelis eodem in lecto cubans uxor, quæ infœlici diù noctûque aderat marito, multis tùm frigoris, tum defatigatio-

(*a*) Vid. Sanctorii Static. Medicin.

Digitized by Google

gationis prægreſſis ærumnis, poſt ſimiles exantlatos dolores, triſtemque pareſim, convulſa periit. Nervorum mobiliſſima ſyntaxis lethalia omnia properavit ſymptomata.

Haud ità diù pòſt vir mihi cariſſimus G. Piſonis pronepos, amplissimi Conſulis filius natû minor, æſtivo tempore, dùm ruri eſſet, frigidæ cupidus auræ, antè auroram è lecto ſæpiùs ſurgens, denudato ferè corpore, ſub Jove frigido, in aperto aere dormitare ſolitus, impeditâ perſpiratione, colico afficiebatur dolore, qui ſenſim tàm pertinax ac atrox evaſit, ut horrendis dein motibus tortus epilepticis, tandem etiam fato ceſſerit. *Obſerv. 30.*

Endemii colici doloris Surinamenſis amica verba facienti mihi narravit in Medicis verè ſapiens H. N. *Endemius colicus dolor Surinamen.*

ſis ab impeditâ perſpiratione. Herbert (*a*) Coloniæ in Paramaribo Proto-Medicus, impeditam perſpirationem crudelis iſtius morbi frequentiſſimam eſſe cauſam. Diurnâ præ calore diaphoreſi exhauſti coloni, nudi nocturno in penſilibus lectis frigore gaudent, apertis undique cubiculis liberè perflans aer, vagis incautos afficit doloribus, colicis dein, mox convulſivis, in pareſim tandèm deſinentibus. Europæorum, utpote debiliorum, maxima fit ſtrages, fortiores noxam laceſſunt Nigritæ.

Nec mirum ſi autumni hyemiſque tempeſtas, inſenſibili perſpirationi vere vel æſtate minùs commoda, ut pote excrementitiam perſpirabi-

(*a*) Doctam de Caſſavæ amaræ Surinamenſis radice diſſertationem edidit anno MDCCLIII.

Digitized by Google

rabilem in corpore retinens mate-riem, dolores in genere, abdomina-leſque ſpeciatim gignat.

Hæc proculdubio cauſa fuit, quâre inter Colicæ Pictonum cauſas remotas, annumerata fuit.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Cauſa remota ſexta.
Scorbutus.

Cauſa 6a. remota ubinam frequentiſſima.

SEptentrionalis maris accolis frequentiſſimus morbus Scorbutus in Britannos, Batavos, Danos, Norvegas, Germanos Septentrionales, populos Boreales, frigidiori ſub cœlo viventes ſæviens, in viciniâ maris, ac in locis aquâ marinâ ſubmerſis maximè infeſtus eſt, otioſos imprimis, afficit, ſævit & in nautas ſalſis ac fumo induratis carnibus piſcibuſve, farinaceis non fermentatis, caſeo ſalito, aquâ denique corruptâ utentes; nec parcit iis qui melancholiæ, labi hypochondriacæ, morbis chronicis obnoxii, ſedentariè vivunt, ſi imprimis nimio Cortice Peruviano fuerint uſi. Mor-

Digitized by Google

Morbi proxima cauſa videtur ab unâ craſſities, ab alterâ parte tenuitas acris, ſalſa, alcalina, vel acida, inter alia phœnomena vix numeranda, dolores erodentes, lancinantes per omnes artus, juncturas, oſſa, viſceraque abdominalia mirum in modum excitans.

Haud itaque mirandum ſi in colico Pictonum dolore tantas agat partes, hâcce nec detur feracior, cauſa, uti in plerifque qui de Scorbuto ſcripſerunt videre eſt.

Sufficiat unus horum verè princeps Eugalenus, Ventriculum, inquit (*a*), ac inteſtina variis cruciatibus torquet Scorbutus, hinc nomen apud Belgas adeptum, cruribus languor advenit, fit idem in bra-

Optimè nota Eugaleno.

(*a*) Vid. Sever. Eugaleni libr. de Scorbuto §. 17. 24. & 25.

Digitized by Google

brachiis, nec ceſſant dolores quin in artuum reſolutionem, judicatione quaſi cauſâ tranſlatâ, deſinant. Poſt diuturnos igitur Scorbuticos colicos dolores, ex intervallo nonnunquàm recurrentes, artuum reſolutionem, cum convulſionibus atque epilepticis motibus vidit.

Obſerv. 1ª. Batavis amicum Muſis, claſſis Indicæ Orientalis gubernatorum arbitrum, omnigenis prægreſſis, etiam colicis, doloribus, cruribus pedibuſque reſolutum vidi. Ad Indias ſæpiùs navigaverat ipſe, ſanato ſcorbuto, rediit motus, vivit nunc ſaniſſimus.

Nec in longinquis navigationibus datur dies, quin tales miſeros videant Navium Chirurgi, hos ſi ad frugiferas appellant inſulas, fructibus horæis ſanant.

Obſerv. 2ª. Hoc tamen notandum, ſi à muriati-

Digitized by Google

riaticâ cauſâ fiat reſolutio, rigeſcunt artus, ubi cauſa alcalina vel acida eſt flaccidiores ſunt, penduli videntur ac molles. Vidi miſerum optimi Chirurgi fratrem, ſale marino quo abuſus erat turgentem, membris omnibus reſolutum, piſcis ad inſtar ſole indurati, ſiccum ac rigidum. Sudor ſpontè prorumpens ſalſiſſimus erat, ſibi permiſſus juxtà naſum abibat in cryſtallos, oculis facilè detegendos, digitis friabiles. Hos ſæpè vidi, tetigi.

CA.

Digitized by Google

CAPUT XV.

Cauſa remota ſeptima. Melancholia.

Cauſæ 7æ. remotæ origo.

MOrbus in quo æger diù ac pertinaciter ſine febre delirat, eidem ferè ac uni cogitationi plerùmque fixus, melancholia vocatur. Oritur ex illâ humorum indole quam bilem atram dixere Veteres. Si à mente, quod rariùs, oriatur, bilis ipſa gignitur atra.

Pro materie terram cum ſpiſſo ſanguinis oleo arctè unitam habens, liquidiore ac blandiore parte orbatam, ſi tenax in vaſis hypochondriacis accumuletur, meſenterium etiam ac inteſtina afficit, intùs & extùs, ſectione enim cadaverum patet tranſſudantem bilem vicina hepatis,

patis, atro, fuſco, viridi colore ſæpiùs inficere, inſigneſque nervorum plexus Meſeraicorum per contactum quaſi lædere. In his enim dolorum colicorum plerùmque ſedes eſt, horum ope mira fit viſcerum ſympathia, qùum ad ventriculum, veſicam felleam, ductus choledochos, inteſtina omnia, quaquàverſum in cuncta ferè totiùs abdominis viſcera denſiſſimè ferantur. Idcircò dùm bilis atra in mineris effervefcens ſuis, acerrimos in proximis dolores excitat, ſpaſmos facit in remotis momento temporis progredientes, diris ſtipatos doloribus.

Hanc bilem graphicè depinxit Platerus (*a*), ubi dicit quod inteſtinorum ſubſtantiam penetrans ac imbuens, ea vellicat, rodit, urit, per- *Optimè deſcripta à Platero.*

(*a*) Vid. Plateri loc. cit.

Digitized by Google

pertinaces morâ fiunt dolores, ac diuturnâ irritatione, toto genere nervoſo compatiente, convulſiones tandem ac paralyſes fiunt.

A Spigelio, ac Kruverio. Idem, iiſdem ferè verbis dixit Spigelius (*a*), repetit Riverius (*b*), bilis in tunicis inteſtinorum effuſa iiſque imbibita, dolores acerrimos, colicam veteribus parùm notam facit, ubi nimirùm propter obſtructiones ad vias communes effundi non poteſt, ſed motû præpoſtero ad abdominis membranas repente excutitur. Hînc dolor crudeliſſimus colicum imitatus, pertinaciſſimus, qui nullis cedens remediis, ſolâ tandem ſuperveniente levatur paralyſi.

A Citeſio. Obſervaverat Citeſius (*c*) tenellas mœrore confectas mulieres, poſt

(*a*) Vid. loc. cit.
(*b*) Vid. loc. cit.
(*c*) Vid. libr. cit. cap. 7.

Digitized by Google

poſt colicos dolores convulſivos, paralyticas fieri (*a*).

Rem illuſtrat obſervatio Wepferi (*b*) Jac. Spoerlin per XII. annos carceratus, melancholicus, languens, iſchuriâ, adſtrictâ alvo, colicâ, laboravit, pareſis brachiorum ſecuta eſt, bilioſa hanc diarrhœa levavit. *A Wepfero.*

Filiam chariſſimam unicam immaturâ morte ereptam noctû diûque deflens pater optimus vice-præſidis in curiâ munere functus, melancholicus evaſit. Urentes in cute carbunculi atram bilem haud dubiè demonſtrarant, temporis lapſû in colicos, pertinaciſſimâ alvi conſtrictione ſtipatos, dolores incidit, pareſis brachiorum ſecuta eſt. Majalibus ſuccis liberaliter ſumptis, Spadano *Obſerv. Ia.*

H dein

(*a*) Vid. loc. cit. cap. 7.
(*b*) Vid. Hiſtor. Apoplect. hiſt. 13.

Digitized by Google

dein medicato fonte fœlix conva-
luit. Anno ſequenti virum optimum novus affecit mœror, recruduere dolores, rediit pareſis.

Obſerv. 24. Matrona LX. annos nata, poſt longum mœrorem, ſummis anxietatibus obnoxia, leves poſt colicos dolores, alvumque clauſam, digitorum motû caruit. Succis ſaponaceis fructibuſque horæis fuſa bilis atra excitavit diarrhœam, cum levamine ſymptomatum rediit motus. Aliquot annis poſteà ſubitâ percitam triſtitiâ idem affecit malum, dextra reſoluta eſt, ſiniſtræ digiti omnes, medio excepto, caruere motû. Similes caſus ſæpiùs vidi.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Cauſa remota octava.
Animi Pathemata.

AB iracundiâ natos colicos dolores in pareſim deſinentes viderat Riverius (*a*). *Cauſam 8am. remotam viderat Riverius.*

Quis autem incredibiles effectus animi pathematum in nervos, imprimis verùm in Epigaſtricos atque Meſeraicos non vidit? Stupendâ gaudent poteſtate in omnes Corporis Sphincteres; imò nonne vaſorum, truncos inter & ramos, proportionem invertunt? Perſpirationem, intùs & extùs, ſudorem, alvinas fœces, urinam, lacrymas, ſemen ipſum tùm expellere, tùm cohibere

 valent.

(*a*) Vid. Riverii loc. cit.

Digitized by Google

valent. Hic vomit irâ, illi ſolvitur alvus, clauditur in altero.

Quodque in maximis, fit etiam in minimis. Sîc mucoſæ tunicæ villoſæ glandulæ ſtringuntur, ſuccus ipſe gaſtricus ac entericus ſiſtitur, inermes hærent papillæ in hypochondriacis, hyſtericiſque corporibus mirè irritabiles, conſentientes nervos in conſenſum trahunt, motus fiunt ſpaſmodici, convulſivi, epileptici, ac ſi cauſa perduret, in pareſim deſinunt.

Sæpiùs in teneris fœminis hyſtericis, quandoque in viris hypochondriacis, genere nervoſo mobiliſſimis hæc omnia vidi.

Obſerv. 1a. Anno hujus ſeculi XLI. Vir mihi cariſſimus, ordinis Senatorii, tenerrimæ quam unquàm vidi texturæ, ingenio acer, facilè iracundus, ad leviſſimum animi motum, anxietate in

Digitized by Google

in præcordiis, alvò clauſâ, coliciſque doloribus in pareſim manuum deſinentibus tentabatur, ad Venerem proni frequentes erant nocturnæ pollutiones, inimiciſſimæ nervis. Per integrum biennium, nunc luctans cum morte, nuncque reſurgens, in epilepticos incidit motus; per octiduum tandem hydrophobus jacuit. Ultimo hoc vitæ durante actû horrendiſſima rabiei caninæ ſymptomata vidi. Somnus inquietus erat, terrore plenus, ſubſultibus perpetuò turbatus, immanis circà præcordia erat anxietas, reſpiratio ſuſpirioſa, horror ad conſpectum potûs, cujus leviſſimus attactus ineffabiles anxietates, miros tremores, immanemque excitabat furorem. Lingua aſpera erat, atque nigreſcens, os hiabat, ejula-

tus, latrantis ad inſtar canis, horrendi, raucam reddebant vocem. Os tenaci redundabat ſpumâ, in adſtantes ſpuens, viſû orbatus, oculi enim erant ſanguine tincti, rictû ſpumante frendens, quos morderet ferox tremulâ quærebat manû, gelidus tandem ſudor inſtantis mortis prænuntius miſerrimæ vitæ finem exoptatam fecit.

Obſerv. 2ª. Tribus annis anteà, hæc omnia, exceptâ ſolâ hydrophobiâ, in formoſiſſimâ videram matronâ, quæ longo teneris carique mariti defatigata morbo, ſauciati atque cruenti adſpectû famuli perterrefacta, iliadem iſtam malorum perpeſſa eſt.

Obſerv. 3ª. Vidi & in tenerâ uxore Collegæ mihi ſpectatiſſimi quæ à leviſſimo animi pathemate, colicis doloribus diſcruciata, motibus epilepticis tentata, pareſi tandem laboravit.

In

Digitized by Google

In viris, plures enim vidi crudelis iſtiûs morbi victimas, immoderata Venus tragediæ cauſa proegumena fuit. Nec mirum ſi Colicæ Pictonum cauſis etiam annumerata fuerit. Videtur tamen remotior, utpote mobilitatem nervorumque irritabilitatem mirè adaugens, hoc reſpectû equidem prædiſponentis cauſæ vice fungitur. *Cauſa prædiſponens immoderata Venus.*



CAPUT XVII.

Diagnoſis Colicæ Pictonum.

Diagnoſtica ſigna Colicæ Pictonum.

NUnc ſpontè patet Diagnoſis, ſive enim reliquiæ febrium imperfectâ criſi ſolutarum, vel non benè curatarum, ſive venena deglutita vel inſpirata, ſive vini potûſque acido auſteri fermentati, acidorumve immaturorum nimius uſus, ſive arthritis ac rheumatiſmus, ſive impedita perſpiratio, vel ſcorbutus, aut melancholia, animive pathemata, irritando, Inteſtinorum aut Meſenterii criſpent nervos, dolor fit colicus olim nothus, nunc Pictonum dictus: dolorem ferè ſemper antecedit ponderis ſenſus atque moleſtiæ, vel in regione epigaſtricâ, vel in umbilicali, quandoque, verùm rariùs, in hypogaſtricâ, ac in lumbali,

Digitized by Google

bali, hypochondria ipſa, dextrum imprimis, viſceraque ſolito minùs libera ſentiuntur. Triſtior fit mens, nec tàm facilis reſpiratio, quæ intermiſcetur ſuſpiriis. Minùs fulgent oculi, facies ipſa palleſcit. Leves tunc oriuntur dolores vix continui, nec à moleſtiæ ſenſû facilè diſtinguendi. Appetitus minuitur, ſitis augetur. Alvus fit durior, urina parcior, faſtidium majus, incipit nauſea, creſcit cum dolore qui tunc continuus fit. Nauſeæ ſuperveniunt ructus, periſtalticus invertitur motus. Frequentes ad vomendum conatus mox ſequuntur, pro momento levans dolorem, mox recrudeſcentem, fit tandem Vomitus. Exagitans corpus augetur anxietas, unà cum dolore ſomnum adimit. Abdominis tunc regio imprimis umbilicalis, intrò trahitur. Febricula fit cum

cum pulſù contracto, jactatione corporis, angore majori, ſingultû, teneſmo, urinæ ſupreſſione, ſpaſmo veſicæ ac ani.

CAPUT XVIII.

Prognoſis Colicæ Pictonum.

Prognoſtica ſigna Colicæ Pictonum.

SI recenſita ſymptomata durent, marceſcit Corpus, vox fit debilior, rauca, ſæpè penitùs extinguitur. Artuum tunc, ſuperiorum priùs, inferiorum dein urentes fiunt dolores, dùm colici miteſcunt. Levamine deceptus æger, melioremque ſperans ſortem, voluntati ſenſim rebelles perſentit artus, qui intrà breve tempus tandem reſolvuntur. Nec ærumnarum finis eſt, ſæpiſ-

Digitized by Google

ſæpiſſimè enim difficiliore factâ reſpiratione, tinnitui aurium, tenebras oculis offundenti nubeculæ, ſcintilliſve micantibus, convulſiones, motuſque epileptici ſuccedunt, externis interniſque deletis ſenſibus, totum concutitur Corpus. Extremorum atrophia creſcit, aphonia, dyſpnoea, cæcitas, phrenitis, lethargus ſucceſſivi mortis prænuntii dantur.

CA-

CAPUT XIX.

Anatomica Cadaverum Inſpectio.

In morbis nervorum incerta cadaverum inſpectio.

QUàm ſit incerta plerùmque Cadaverum inſpectio, ut cauſa ab effectû dignoſcatur, ſapientes Medici non ignorant. Dùm obſervatur effectus, ſæpè præterlabitur cauſa. Hoc imprimis verum in morbis ubi immediatè afficiuntur nervi. Et hæc eſt ratio quâre crudeliſſimis extinctâ colicis doloribus cadavera, nil præter pallida flatibus diſtenta exhibent inteſtina.

In colicâ Pictonum ſæpiùs inutilis.

Teſtis eſto in ſectione cadaverum exercitatiſſimus, Chriſtianiſſimi Regis Archiater, Diaphragmatis Cordiſque anatomicâ deſcriptione clariſſi-

Digitized by Google

riſſimus Senac, mutuo epiſtolarum amico commercio, anno hujus ſeculi quinquageſimo, ubi de colicâ Pictonum quæſtio erat, quinquaginta & ultrà à Viro Clariſſimo diſſecta fuiſſe Cadavera, abſque ullis cauſæ veſtigiis detectis mecum communicavit.

Teſte Fernelio. Defunctum pictorem Andegavenſem cultro anatomico ſubjecit Fernelius (*a*), jecur, lien, ventriculum ac renes benè conſtitutos invenit, nulla in veſiculâ fellis obſtructio, nulla dabatur in meſenterio humoris vitioſi congeſtio, nihil denique in ullâ aliâ parte, quod tantorum fuiſſet malorum cauſa, obſervari potuit.

Quandoque tamen haud fruſtrà fit. Hoc utique verum ſi morbi cauſæ remotæ fuerint venena, vini, potuſ-

(*a*) Vid. Fernelii de Lue Venereâ cap. 7.

potuſque acido-auſteri, acidorum nimius uſus, arthritis vel rheumatiſmus, impedita perſpiratio, animi denique pathemata. Si verùm reliquiæ febrium imperfectâ criſi ſolutarum, vel non benè curatarum, ſi ſcorbutus aut melancholia, fecerint morbum, veſtigia in cadaveribus apparent.

Obſerv. 14. Sic anno MDXCII. Franciſcani cadaver apertum exhibuit inteſtini jejuni membranas, bile æruginoſâ turgentes, à ſe invicem diſtentas, non procul ab hepate. Tenuiori bili imbutæ inteſtini tunicæ videbantur, nec immune erat Epiploum, contactu, bilis colore tinctum. Flatibus diſtentæ, biliſque acrimoniâ exeſæ inteſtini tunicæ, penè rumpebantur, externa à peritonæo nata ſola manebat integra (*a*) Re-

(*a*) Vid. ad calcem operis Citeſii ſæpiùs cit.

Digitized by Google

Receptâ Clariſſimi Senac epiſtolâ unum alterumve cadaver cultro anatomico ſubjeci, melancholici erant poſt graves ærumnas colicis doloribus enecti, pars concava hepatis, parteſque hujus vicinæ atra viridi pigmento tinctæ erant. *Obſerv. 2a.*

Anno ſequenti colicis doloribus ſcorbuticis defunctum miſerum diſſecui, humorum acrimoniâ, inteſtinaliſque muci defectû interioris membranæ nudæ papillæ, leviſſimam excoriationem in omni ferè puncto exhibebant, Inteſtinorum atque Meſenterii innumera erant varicoſa vaſa atro ſanguine turgentia. *Obſerv. 3a.*

cit. ex P. Milonis Coll. Med. Pictav. Decan. adverſariis.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Symptomatum Colicæ Pictonum, brevis dilucidatio.

GRaviſſima Colicæ Pictonum Symptomata præcipua, ſequentia videntur.

Ponderis ſenſus atque moleſtia.

I. *Ponderis ſenſus atque moleſtiæ dolorem præeuns*, inſtantis ſpaſmi prænuntius, incipientem nervorum contractionem indicat. Multiplicibus ſecretoriis, nec non excretoriis abdominis organis leviter conſtrictis, motus progreſſivus humorum retardatur, ac prout increſcunt reſiſtentiæ, moleſtus ponderis ſenſus augetur. Nervorum abdominalium cum diaphragmaticis mira ſymphatia nemini ignota, phœnomenon explicat.

Qua-

Digitized by Google

Qualis verò ſit contractionis cauſa, perinde eſt. Animi pathema, in epigaſtricos nervos propiùs agens, idem efficit.

II. *Difficilior reſpiratio*, quoties pulmo idiopathicè non afficitur, ab actione læſâ diaphragmatis, imprimis pendet, prædictis autem conſtat abdominales atque diaphragmaticos nervos mirum in modum conſentire. In morbis hypochondriacis evidens apparet iſte conſenſus. Salvo enim pectore, affectis tantùm abdominalibus, difficilis mixta ſuſpiriis reſpiratio fit. *Difficilior reſpiratio.*

III. *Dolores abdominales*, eſſe debent, ſuntque reverâ in ratione compoſitâ cauſæ irritantis, atque numeri nervorum, plus minuſve irritabilium, hînc fit ut eâdem datâ cauſâ, dolores, effectuſque dolorum, in hypochondriacis, ac hyſtericis, *Dolores abdominales.*

Digitized by Google

quàm in athleticis duriſque corporibus ſint majores. Stupendus autem nervorum apparatus in Meſenterio, ac inteſtinis, horum interiori membranæ villorum, papillarum, ſphincterulorum, illi verò plexuum infinitum ferè numerum impertiens, has omnes quas irradiat partes exquiſitiſſimi ſenſûs, maximique doloris capaces efficit. Nec mirum ſi irritatis his nervis ſpaſmodici, convulſivi, epileptici fiant motus.

Alvus clauſa, urina parcior. IV. *Alvus clauſa*, *Urina parcior*, ſpaſmi ſenſim increſcentis effectus eſt. Spaſmo periſtalticus ſiſtitur motus, tubique inteſtinalis nervei ſtringuntur laquei. Exhalans inhalansque hæret organum, lubricantem mucum non eructant glandulæ, gaſtricus ac entericus deficit ſuccus, villoſa ſicceſcit membrana, tenaces ſiccæ fœces, in conſtricto exſucco hæ-

Digitized by Google

hærent tubo. Ipſâ deficiente bili, omnes enim ceſſant ſecretiones, maximè efficax ad propellendas fœces, deficit cauſa, nataque ab his omnibus reſiſtentia, omnes ſuperat nixus. Spaſmodicè conſtrictis nervis Meſeraicis, naſcens indè Plexus Renalis atque Hypogaſtricus, uterque criſpatus, urinæ ſecretionem ac excretionem impedit. Si diù clauſa maneat alvus, augeaturque cauſa ſpaſmi, ligamenta ipſa tendinea coli, ſeſe ſuper Rectum extendentia, contrahuntur, ſurſumque retrotrahitur anus.

V. *Nauſea*, *Ructus*, *Vomitus*, ab eâdem cauſâ minùs magiſve intenſâ oriuntur. Si faucium, œſophagi, ventriculi, inteſtinorum, levis modò ſit convulſio, irrituſque vomendi conatus, nauſea fit. *Nauſea, ructus, vomitus.*

Si ſphincteris œſophagei, œſopha-

gi, oris ſuperioris ac inferioris Ventriculi, inteſtinorumque ſpaſmi, aërem elaſticum uno momento coerceant, altero, laxato clauſtro, emittant, Ructus fiunt.

Si fibrarum muſcularium Faucium, Stomachi, Ventriculi, Inteſtinorum, Diaphragmatis, muſculorum abdominalium fortis ſit convulſio, contenta ventriculo vomitû expelluntur, ipſaque inteſtina atque viſcera, hâc datâ portâ, evacuantur. In hocce ſtadio haud ſiſtitur, ſed periſtalticus reverâ invertitur motus.

Ità enim animale Corpus factum eſt, ut ipſi nocitura ſpontè, vel divite lymphâ abluantur, aut ſurſùm deorsùmve diarrhœâ, vomitûve expellantur.

Somni defectus. VI. *Somni defectus*, continuo adſcribendus eſt dolori, angore ſtipato dolore ipſo crudeliori.

VII.

Digitized by Google

VII. *Retrotractio abdominis*, contractionis inteſtinorum, omniumque in abdomine contentorum viſcerum, effectus eſt. E Lumbis naſcens Meſenterium nervorum Intercoſtalium tot plexibus dives, ad punctum fixum originis ſpaſmodicè retractum, abdomen retrahit ipſum, inteſtina, peritonæum, muſculi ipſi abdominales criſpantur, vaſorumque rubrorum, ſeroſorum, ac lymphaticorum abdominale ſyſtema dùm ſpaſmodicâ contractione fit vacuum, ſubſidens abdomen ad ſpinam dorſi retro-trahitur. *Retro-tractio abdominis.*

VIII. *Febricula*, à generis nervoſi irritatione oriunda, doloriſque ferè comes, acrimoniâ humorum quotidie increſcente, excitatur. Obturata vaſa lactea, atque abſorbentia, chylo negant ingreſſum, nec renovari ſinunt humores. Depau- *Febri-cula.*

Digitized by Google

peratus ſanguis fit ſenſim acrior, lapſûque temporis acerrimus, febriculæ fomes evadit.

Atrophia. IX. *Atrophia*, fit à continuo vomitû nutritioni obſtante, qui ſi perduret inediæ vice fungitur, defectû ſomni augetur. Somno enim, ſine cibo vel potû nonnulla nutriuntur animalia, imò ſi Martiali (*a*) credendum, pingueſcunt. Nimiæ è contrà vigiliæ ſpiritus difflant, corpus exſiccant, craſſiores ac acriores reddunt humores, qui ſolida dein ſtimulantes, motum augendo, febrim faciunt.

Vocis imminutio, raucitas, extinctio. X. *Vocis imminutio*, *raucitas*, *extinctio*, oblinientis muci defectû in organo, nervorumque reſolutione efficitur. Vox fit expulſû aëris in pulmone contenti, per cauſas thoracem

(*a*) Vid. Martial. lib. 13. 59.

Digitized by Google

racem arctantes, in aſperam arteriam, ventriculos campaniformes, indè in glottidem arctatam, tremulo, reſonante, clangore, per nervos recurrentes excitato. Agilitas muſculorum glottidis, ligamentorum Cartilagines laryngis nectentium obſequioſa laxitas, major minorve glottidis apertura, lubricans glandulæ Thyroïdeæ ſuccus, vocem ſonoram faciunt. Si hæc omnia lædantur, iſtiûs fit imminutio, ſi penitùs deficiant, extinguitur. Mucum autem deficere, nervoſque reſolvi omnia colicæ Pictonum phœnomena pronunciant.

XI. *Artuum reſolutio*, diuturni nervorum ſpaſmi effectus, ab occalleſcentiâ nervorum oriri videtur. E cranio exeuntes nervi vaginam defendentem à durâ meninge accipiunt. Hanc inter & nervum, ros ſubtiliſ- *Artuum reſolutio.*

 ſimus

ſimus exhalat, quo concretio impeditur, eâdem pro tendinibus ſapiens natura cautelâ utitur, ne vaginis adhæreſcant. Si deficiat ros, in utroque caſû concretio fit, immobiles fiunt tendines, nervorum organica actio deſtruitur, rigidi reſolvuntur artus. Muſculi humerum moventes, carnoſum perdunt habitum, qui brachium & ulnam primùm, poſtea qui carpum, tandem qui metacarpum atque phalanges movent etiam gracileſcunt. Tendines vaginis alligantur, ità ut ab humero ad extremos uſque digitos omnia rigeſcant. Pedes, tibiæ ac femora pariter afficiuntur. Sic igitur fit paralyſis plùs minuſve perfecta, in nonnullis enim deſtructo motû ſupereſt ſenſus, ità tamen ut extenſores digitorum communes, ſupinatores, pollicumque extenſores, abducto-

Digitized by Google

ductores, atque adductores primi pereant. Si pedes reſolvantur, extenſores crurum primi afficiuntur, ità ut miſeri decumbentes, licet difficilè, varios motus dextrorsùm, ſiniſtrorsùm, ſursùm etiam peragant, pedibus tamen inſiſtere nequeunt. Ubi verò perfecta facta eſt paralyſis, ſupernæ infernæque extremitates ſenſû motûque orbatæ tantùm non mortuæ trunco pendulæ hærent, pellis oſſibus hæret.

Utinam tàm facilè explicari quàm enarrari poſſent mira hæc phœnomena! at limites dantur, ſapientibus non ignoti, quos ultrà nequit conſiſtere verum. Diuturnitate morbi occalleſcentes nervi quò à Cerebro remotiores, eò citiùs pereunt. Spiritibus depauperatus ſanguis propioribus modò proſpicit, fit eclypſis in remotis. Hoc imprimis obſervatur *Haud facilè explicatur.*

tur

Digitized by Google

tur in ſcorbuticis qui leviores plerùmque in abdomine paſſi dolores, manibus tamen pedibuſque reſolvuntur. An brachiorum pareſim ulteriùs explicat communicatio nervorum abdominalium in collo cum brachialibus? An femorum, crurum, pedumque reſolutionis problema ſolvit, per medium Pſoam tranſeuntis moleſtus ex abdomine nervi cruralis exitus? Latente Phœbo, lucet Luna.

Convulſiones, ac motus epileptici. XII. *Convulſiones, motuſque Epileptici*, ex apparatû nervorum in abdomine facilè intelliguntur. Nervi magni Sympathici, vulgò, Intercoſtales dicti, cum Carotide internâ, ut quinto ſextoque ſe jungant pari, anteriora versùs aſcendere videntur. Angulus autem conjunctionis adeò acutus eſt, ut pro recurrentibus haberi non poſſint. Quod ergo pro ori-

Digitized by Google

origine deſcendente nervi vulgò habetur, nil niſi aſcendens ramus foret, qui intrà cranium diviſus ſupra dictis ſe jungeret nervis. Juxtà corpora vertebrarum, ad radices transverſarum apophyſium, internamque oſſis ſacri lateralem ſuperficiem Intercoſtales, magni Sympathici dicti, decurrunt. Funiculorum inſtar, per totam longitudinem pluribus dividuntur gangliis, ramis breviſſimis collateralibus cum gangliis Spinalis Medullæ, à parte poſteriore communicant, ab anteriore verò proprios ipſis diſtribuunt ramos. Hæc ganglia mole, colore, conſiſtentiâ differunt, ſuntque totidem quaſi origines maximi paris Sympathici. Superius Cervicale dictum, maximum, ſed molliſſimum eſt, olivam figurâ refert, pone Pharyngem, longitudinaliter, ad radicem ſuperiorum

Digitized by Google

riorum trium vertebrarum colli ſitam. E ganglii ſummitate naſcitur nervus qui cum Carotide interna cranium intrat. Ganglium verò, octavi paris trunco, fibrillarum ope adhæret. Utrimque etiam breviſſimis ramis cum primo, ſecundo, tertio cervicali, imo ad laringem cum octavi paris ramo communicat. Tranſeundo dat ramulos pharyngi, arteriæ carotidi, longum tandem ad pectus mittit ramum.

Ab inferiore verò ganglii parte tenuis oritur funiculus, ſuprà muſculos Vertebrales anteriores colli deſcendens, octavo pari, arteriæque Carotidi, in eâdem quaſi vaginâ, ad ultimam colli vertebram uſque adhærens.

Sìc deſcendens nervus à parte poſticâ, cum tertio, quarto, quinto, ſæpè & ſexto Cervicali pari, bre-

Digitized by Google

brevibus obliquis ramulis coëuntibus, ſenſim craſſior factus, communicat. Juxtà ultimam colli vertebram in ganglium Cervicale inferius, mox pone arteriam ſubclaviam exteriora versùs inflexus, in majus ganglium, primum Dorſale dictum abit, ambo iſta ganglia brevibus ramulis cum nervis vertebralibus vicinis communicant.

Ultimum ganglium Cervicale, quandoque primum Dorſale, magno recurrenti dat ramulum, indè naſcitur nerveus funiculus qui pone arteriam Axillarem atque Carotidem, cum ramo coït octavi paris, abitque in plexum Pulmonarium dictum, indè ad truncum communem Intercoſtalis, octavique paris, ad plexum Cardiacum, nervum recurrentem ſiniſtrum, Cor, vicinaſque Cordis partes &c.

Sub

Digitized by Google

Sub primo ganglio Dorſali deſcendit truncus ſuprà ligamenta quibus coſtæ vertebris uniuntur. Sic deſcendens inter utramque coſtam, accipit ganglium quo retrò duplici fibrillâ breviſſimâ tum nervo Coſtali, Dorſalive proximo communicat.

Inferiora versùs, quinque plerùmque ramos emittit, antequàm ultimam dorſi vertebram pertranſeat.

Hi rami unà coeuntes, craſſiuſculum formant funiculum, collateralem quaſi, diaphragma perforantem, datis priùs nonnullis ſuperficiei convexæ fibrillis. Dat etiam nonnullas concavæ, efficitque, pone glandulam ſuprà renalem, ganglii ſpeciem plexus Semilunaris vulgò dicti.

Dextrum ſiniſtrumque ganglium, pone Ventriculum, ſupra Cœliacam arteriam inter ſe, ac cum octavo pari communicant.

Fit

Fit & plexûs ſpecies intermedii, Cœliacus dicti, qui, Cœliacam amplectitur, datque fibrillas Meſocolo.

A parte dextrâ plexus fit Hepaticus, qui nonnullis nervi Diaphragmatici fibrillis adunatus, nervulos dat arteriæ Hepaticæ, Venæ Portarum, Veſiculæ fellis, Duodeno, Pancreati, Glanduliſque ſuperrenalibus. A parte ſiniſtrâ, ganglii Semilunaris plexum faciunt Splenicum, qui mediante plexû Stomachico, cum octavo pari communicans, ſplenicam amplectitur arteriam, ac in Pancreas atque Lienem abit.

Ab utroque ganglio Semilunari, exeunt rami qui fibrillis gangliorum Lumbalium juncti, plexum faciunt Renalem, ſpermaticis vaſis nervulos dantem.

Plexus hic Renalis, cum ſemilunari,

Digitized by Google

nari, magnus ut Meſeraicus plexus formetur, maximè confert.

Bina iſta ganglia Semilunaria, proximè ſub Diaphragmate, nerveos faſciculos qui Rete Plexiforme efficiunt, dant mutuatim.

Plexus Solaris nomine inſignis, Meſocolo, Meſenterio atque Diaphragmati, nerveas dat radiatim fibrillas, ſpeciemque vaginæ arteriæ Meſeraïcæ ſuperiori, ad ultimos uſque diſſilientis ramulos, quos ad inteſtina, glandulaſque Meſeraicas, ubique comitatur.

Hicce plexus Meſeraïcus ſuperior, à plexû Hepatico, Renali, ganglioque Semilunari imprimis conficitur, datque arteriæ Meſeraïcæ inferiori vaginam reverâ nerveam, arteriam amplectentem, ejuſque ramos ad inteſtina uſque proſequentem, quod maximè notandum. Huîc vaginæ ejuſ-

Digitized by Google

ejuſque proceſſibus Plexûs Meſenterii inferioris nomen datum eſt.

Ex eâdem origine naſcitur inferiùs, tertius Plexus, Hypogaſtricus verè dicendus, ante ultimam dorſi vertebram, in duo compreſſa ganglia diſſiliens, partem poſticam Recti amplectentia, dat ramos Inteſtino, Veſicæ, Vaſis Spermaticis, omnibus tandem in Pelvi partibus contentis.

Emiſſo trunco collaterali, gracilior fit Intercoſtalis, inferioremque Diaphragmatis muſculum à latere perforat, ſed mox accedentibus ramis duorum inferiorum parium Dorſalium craſſior fit.

Sic inter Pſoam, vicinoſque tendines muſculi minoris Diaphragmatis deſcendens, ad oſſis ſacri extremum, dexter jungitur ſiniſtro, muſculiſque Recti, ut & Coccygis, unà cum ſacris ultimis nervis, plurimas dant fibrillas.

Ut major lux affulgeat, notandum è gangliis omnes exeuntes nervos, intrantibus nervis rubicundiores, atque molliores, à durâ meninge acceptam vaginam exuere, novâque, quam ipſis dant ganglia, molliore tegi, à quâ, ut à priore, in progreſſu defenduntur; exeunt autem numero plures, quaſi priori amiſſâ membranâ coercente, in plures diſſiliant ramos à centro undiquàque radiatim diffuſos. Sìc enim ganglium Meſeraïcum ad omnia inteſtina ramulos diffundit nerveos, Semilunare verùm ad Hepar, Lienem, Renes, omniaque Viſcera abdominalia. Infrà ganglia nervorum mollities ac teneritudo, in abdomine, ubi tutò reconduntur, non obſtat, quin in vaporis quaſi hæreant balneo, ideò etiam nullibi ganglia fecit natura, niſi ubi in abdomine, vel

Digitized by Google

vel intrà oſſà latitant nervi, reliqui duræ meningis vaginâ defenſi gangliis carent. Hæc neurologica digreſſio (*a*) Colicæ Pictonum diagnoſi magnum affundens lumen, omnia ferè explicat phœnomena, convulſionumque, motuumve epilepticorum certam exhibet theoriam.

Nunquam ſatis revolvenda Wepferi (*b*) obſervata, recènſque natorum convulſivi motus ab acido, rem apertè demonſtrant. Miris ergo Meſeraicis nervorum plexubus irritatis, totum convellitur Corpus.

Partis remotioris in conſenſum raptæ exemplum eſto gulæ, muſculo-

(*a*) Vid. miram B. Euſtachii Tab. XVIII. doctiſſimamque Anatomicorum principis B. S. Albini explicationem. Vid. & R. Vieuſſens Neurographiæ cap. 5. Tab. XXIII.

(*b*) Paſſim reperiunda in hiſtoriâ cicutæ aquaticæ.

Digitized by Google

culorum maxillam inferiorem adducentium, labiorumque, herniotomiæ ſæpè ſuperveniens, ſpaſmus. Poſt ſextam à caſtratione diem, quandoque tardiùs, deglutiendi difficultas occurrit, cynicus ſubſequitur ſpaſmus, arctiſſima tandem fit dentium conſtrictio. Remotiſſimum conſenſum, miramque ſympathiam demonſtrant motus epileptici à pedibus oriundi. Juvenem epilepticum, veſicante pedi appoſito ſanavit Wepferus (*a*).

XIII. *Internorum ac externorum ſenſuum abolitio*, maximæ ac perdurantis nervorum irritationis effectus eſt.

(*a*) Vid. Joh. Jac. Wepferi Hiſt. cicut. aquat. cap. 8.

CA-

CAPUT XXI.

Spontanea quæ naturâ fit Colicæ Pictonum Curatio.

IN Cœnobio Caſæ Dei, fugâ ac loci mutatione, dicit Droetus, (*a*) debuere Virgines ſalutem ſibi quærere. *Fugâ ac loci mutatione Colica ſanata.*

Illud Citeſium (*b*) docuit experientia, omnium ordinum Monachos, Capucinos præſertim ac Fuſienſes, quorum integras ablegaverat Colonias, aëre Pictonico exulatos, ſanitati, ſine ullo artis præſidio, reſtitutos vidit.

Ægrotantem Membris reſolutum, omnibus ejuratis Medicaminibus, inte-

(*a*) Vid. P. Droeti loc. cit.
(*b*) Vid. Citeſii loc. cit.

Digitized by Google

integram valetudinem recuperaſſe, vidit Wepferus (*a*). Quod verò fidem ferè ſuperat, ſpontaneam diarrhœam bilioſam pareſim ſolviſſe ſemel obſervavit. Mira hæcce obſervatio, à Medicorum nemine, quantùm ſcio, confirmata, morbi indoli tam parùm conſona, omnibus phænomenis adeò repugnans, tanti viri, ut pro verâ habeatur, auctoritate eget. Similem morbi ſolutionem nunquàm fateor vidi, nec audivi. Verùm ſæpiùs vidi miſeros Surinamenſes, omnes poſt paſſas ærumnas, membris reſolutos, in Europâ reduces, ingratum littus fugientes, ſalubriorem per aliquot menſes aërem ſpirantes, ſaneſcere.

(*a*) Vid. Joh. Jac. Wepferi hiſtor. apoplect. hiſt. 13.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXII.

Colicæ Pictonum Curatio arte facta.

OMnibus ritè perpenſis, quæ de multiplicibus Colicæ Pictonum remotis cauſis, ſapientiſſimorum in arte virorum, propriâque obſervatione fulta, ingenuè hactenus ac caſtè enarravi, quis facilè credet unam eandemque curandi methodum profuturam. Certè diſputatio rationis ac experientia, ad cauſas remotas ſeorsîm attendendum eſſe pronuntiant. Si proxima ſola reſpiceretur, infœlix foret medela. Tam diverſæ enim morbi cauſæ uno eodemque medicato potû non ſunt ſuperandæ.

Unâ eademque methodo non eſt curanda Colica Pictonum.

A febrium igitur reliquiis imperfectâ criſi ſolutarum, naſcentes colici dolores in pareſim deſinentes, non eâdem tractabuntur arte, ac illi qui veneris, arthritidi, aut impeditæ perſpirationi originem debent. Quid ſi hos effecerint animi pathemata? Imò ſi morbus diù duraverit, nonne aliam efflagitabit opem? Ut à primâ Colicæ Pictonum cauſâ remotâ initium faciamus poſtulat ordo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Cauſæ remotæ primæ Curatio.

IN Hepate, hujuſque viciniis retenta, diffuſa dein in meſenterio ac inteſtinis, bilis acris, morâ acrior facta, nervoſas vellicat partes, atque nervorum irritat plexus. Si in cavum inteſtinorum penetret defendentem abradit mucum, papillas denudat, his irritatis, in ſecretoriis uti in excretoriis organis pertinaciſſimos facit ſpaſmos, alvi conſtrictione, colico dolore, nauſeâ, vomitû ſtipatos. Criſpatis vaſis exhalantibus glanduliſque mucoſis, quibus defenduntur papillæ, ros ac mucus deficiunt, colici tandem *Retentæ bilis effectus.*

dolo-

dolores in pareſim deſinunt.

M. S. fortiaque emetica ac cathartica vitanda ſunt.

(1) Prægreſſo morbo, cujus hic effectus eſt, fractæ plerumque vires, miſſionem ſanguinis vetant. Vetant & fortiora cathartica, quæ uti emetica, ſine irritatione non agunt. Irritantia quippe intùs ac extùs vitanda ſunt. Superandus eſt ſpaſmus, laxatiſque emunctoriis per alvum inimica ſenſim deducenda eſt materies. Leni hâc arte ſolvitur ſpaſmus, ſoluto ſpaſmo laxatur alvus, interna reſtauratur perſpiratio, obliniens blandus regeneratur mucus.

Abdomen intùs ac extùs fovendum.

(2) Molliſſimo fotû, blandiſſimove Cataplaſmate, totum foveatur abdomen. Ex iiſdem omni bihorio repetenda fiant enemata. Farinæ emollientes, avena excorticata, hordeum, mica panis, flores althææ, malvæ, oleum lini, butyrum recens, promptiſſimam ſimpliciſſimamque

Digitized by Google

que medicam exhibent materiem. Hæc largâ manû, ſæpiùs repetenda, diù continuanda ſunt.

(3) Ex aquâ tepidâ, vel hydrogalâ, ſæpè reïterata ſemicupia proſunt. *Semicupia proſunt.*

(4) Omnibus catharticis palmam præripiunt Manna pulpaque Caſſiæ, æquali quantitate amygdalarum dulcium recenti oleo nuptæ. Si hujus medicamenti drachma una vel altera, omni bihorio aut trihorio, cum ſeri lactis tepidi unciis quatuor ſumatur, intrà triduum plerùmque reſpondet alvus. Uſû toties explorato comperta methodus, virorum in arte principum auctoritate confirmatur. Huîc annuit Geſnerus (*a*), Plate- *Sicut & blandiſſima laxantia.*

(*a*) Vid. epiſtol. Conr. Geſneri lib. 3. pag. 114.

Platerus (*a*), Spigelius (*b*), Sennertus (*c*), Wepferus (*d*), Williſius (*e*), Fabricius ab Aquapendente, (*f*) atque Hoffmannus (*g*). Citeſius ipſe fortiora incautè adhibens cholagoga, immanium tamen indè naſcentium conſcius dolorum, ad oleum amygdalarum dulcium, vel olivarum, ſirupo Roſar. ſolut. nuptum, per plures dies continuandum præceps confugit, alvus sîc laxata, fatetur ipſe (*h*), cum maximo

(*a*) Vid. F. Plateri loc. cit.
(*b*) Vid. Adr. Spigelii loc. cit. cap. 14.
(*c*) Vid. Dan. Sennerti loc. cit.
(*d*) Vid. Joh. Jac. Wepferi Hiſtor. Apopleƈt. hiſt. 13. Ephemer. Nat. Cur. obſerv. 39. ann. 1670.
(*e*) Vid. Thom. Willis, de animâ brutorum. part. patholog. cap. 15.
(*f*) Vid. H. Fabricii ab Aquapend. Medicin. Praƈt. lib. 3. cap. 46.
(*g*) Vid. Frid. Hoffmann. loc. cit.
(*h*) Vid Fr. Citeſii lib. cit. cap. 8. pag. 214.

Digitized by Google

mo ægri levamine fluit.

(5) Hâc methodo tractatus morbus colicis caret furoribus, vigilesque naturæ ſatellites ſomnifero potû non ſunt ſopiendi dolores, doloſo ſolamine nec decipitur æger, neque fallitur Medicus. In ſpaſmis enim cum materie tenaci, acri, criſpante, prorsùs alia res eſt ac in iis qui ſine materie dantur. In iſtis mirus, incantamento quaſi, narcoticorum effectus, diuturniorem pertinacioremque in illis efficit morbum. Si non claudatur alvus, fit dura narcoticis, quid ubi omni ope conandum ut laxior fiat. *Narcoticis abſtinere præſtat.*

(6) Per debitum tempus alvo ſolutâ, pertimeſcendæ morbi reliquiæ, ſero lactis gramineo, ſi præſens ſit, mitioribuſve ſaponaceis ſuccis, nullo addito ſale, fugandæ ſunt. *Morbi reliquiæ fugandæ ſunt.*

Digitized by Google

ſunt. Nondùm regeneratus mucus acria vetat. Becabungæ atque taraxaci ſucci, aliis omnibus præſtant.

Firmitas partibus conciliaanda eſt. (7) Tunc, non verò priùs, medicato fonte ablutæ partes tutò firmantur. Aquæ imprimis juvant acidulæ. His firmitas conciliatur partibus, dùm, ſi quid peccantis humoris latitans ſuperſit, abluunt. Quod Spigelio, Wepfero, Citeſio, nec non Williſio (*a*) minimè ignotum fuit.

(*a*) Vid. loca citata.

CA-

CAPUT XXIV.

Cauſæ remotæ ſecundæ Curatio.

SIve edulcatum Lithargyrio vinum, vel aqua imprægnata Ceruſſâ, aut ſubtilia deglutita venena, Ventriculi ac Inteſtinorum nervos lædant, triſtis effectus idem eſt. Vaſorum abſorbentium, exhalantium, lacteorum, glandularum muci, Sphincteruli criſpantur, ſucco gaſtrico ac enterico, nec non obliniente muco orbatæ papillæ irritantur, diſſeminata per Meſenterium irritatio afficit Plexus, hi totum ſympathicorum ſyſtema in conſenſum trahunt, hocce verò genus nervoſum conſentiens. Doloribus ſuper- *Venenorum effectus.*

ſupervenient ſpaſmi, enarratis ſymptomatibus ſtipati.

Præcedente minùs materialis cauſa, vixque ſenſibilis, eoſdem parit effectus, morbus quamvis idem aliam tamen poſcit medelam.

Quandoque juvat M. S. (1.) Hîc ſæpè nullus alius præit morbus, graviſſimorum enim in ſaniſſimis vegetiſque corporibus ſymptomatum, ictû fulminis quaſi, ſuborientium, exempla dari vidimus. Si ſanguine dives, plethoricum ſit corpus, una vel altera miſſio ſanguinis requiritur. Hâc abſtinendum, ſi corpus debile ſit.

Aliquando proſunt emetica. (2.) Si recens cauſa ſit, emetica proſunt, ſi duraverit, nocent; ubi conveniunt, præſtant catharticis acrioribus, ut pote magis irritantibus, dubiique effectûs. Quem excitant emetica orgaſmus, opio ſedandus eſt.

(3.) Epi-

Digitized by Google

(3.) Epithemate molli, vel cataplaſmate, abdomen ſine morâ fovendum, clyſmatibus oleoſis, ſæpè ſæpiùs repetendis relaxandum. De his jam ſuprà. *Abdomen intùs ac extùs fovendum.*

(4.) Balnea etiam proſunt, ſi tepida. *Balnea proſunt.*

(5.) Poſt peractum ſedantis opii effectum, laudato leni eccoprotico perpetim deglutiendo ſolvatur alvus, quam acria claudunt. Lactis ſerum, vel hydrogala propinetur. *Lenia eccoprotica.*

(6.) Antidoti vice fungens, lac aſininum, equinum, caprinumve, ilicò exhibendum. Hoc ſolo ferè, omni pharmaco rebellis, abſolvitur Curatio. Mirum hunc lactis effectum ſubolfecerat Citeſius (*a*), experien- *Lac.*

L

(*a*) Vid. loc. cit.

Digitized by Google

perientiâ olim confirmaverat Fernelius (*a*).

Veſicantia. (7.) Si hactenùs omni medelâ majores perſtent dolores, fortiora epiſpaſtica pedibus, cruribus veſicantia applicentur, duobus doloribus ſimul obortis, vehementior alterum obſcurat. Qui experiundo non didicit, quàm citò, quàm tutò juvent Veſicantia, vix crederet. In Angelimontano Coenobio mira præſtitere (*b*).

(*a*) Vid. loc. cit.

(*b*) Vid. Joh. Jac. Scheuchzeri Itiner. Alpin. it. 1. ann. 1702.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Cauſæ remotæ tertiæ Curatio.

PLerorumque fructuum ſuccus recèns preſſus eſſentiali ſale gaudet acido, tantò craſſiore ac copioſiore, quantò acerbiores fructus ſunt; hînc rheumatiſmo nec non arthritidi adeo nocet. Hujus vi ſaponaceâ abſtergitur inteſtinorum mucus, denudantur nervi. Ipſa corrumpitur bilis, in coagulum abit, ac in jecore ſtagnans, nova ipſa fit irritans cauſa. *Acidorum effectus.*

(1.) Antequàm diriſſimis ſtipatus doloribus erumpat morbus, languentes, pallidi, cachectici fiunt ægri, ſanguinis rubra pars ſenſim minui- *M. nocet.*

tur, abeſt plethora. Miſſio ſanguinis ergo noceret.

Nocent emetica atque fortiora cathartica.

(2.) Nocerent & emetica fortiora, omniaque irritantia cathartica, ſenſim enim naſcitur morbus, nec antequàm altas egerit radices erumpit. Bilis ipſa, cauſa morbi acris, morâ acrior facta, fortiter moventia vetat; friabile hepatis, in quo latitat, parenchyma non impunè laceſſerent, vicinas nerveas partes, hepatiſque plexum mirè irritabilem magis adhucdùm irritarent. Omni ope leniter ſolvendam alvum, irritantia claudunt. Ut concuſſû tamen recluſus in hepate excutiatur hoſtis, granum unum vel alterum tartari emetici aquâ multâ diluti, prudenti manû exhibendum eſt. Motus eſt compeſcendus narcotico.

Abdomen intùs ac

(3.) Molli fotû intùs & extùs, pertinaciſſimus ſolvitur ſpaſmus, emol-

mollientiſſima ac oleoſa cataplaſmata, uti & enemata, perpetim continuanda juvant.

extùs molliter fovendum.

(4.) Si debiles, languentes, pallidi, ſint ægri, à balneis abſtinendum, bis indè natum oedema curatû difficillimum vidi, quotieſcunque pars rubra ſanguinis imminuta datur, temerè adhibentur.

Balnea cautè adhibenda.

(5.) Sirupo Roſarum Solutivo ſimplici, olei amygdalarum dulcium tertiâ additâ parte, cum granis aliquot recentis ovi vitelli, ut miſceantur, laxetur alvus; non ingrati, obtundentis vice fungentis, linctûs continuus uſus ſatisfacit indicationi. Oleum olivarum recens, cochleatim ſumptum mira efficit. In hoc caſû, hordei mundati, aut avenæ excorticatæ tenuis cremor pro diluente vehiculo præſtat, ſirupo nymphææ ſimilive edulcetur. Aceſcentia quandoque

Leniſſimis laxantibus alvus movenda.

præſens in primis viis vetat acidum.

Lac Selteranis nuptum mirè prodeſt. (6.) Si, cum levamine ſymptomatum, reſponderit alvus, hordeacea juſcula vitulina proſunt, lac ipſum tutò propinatur; pinguiori præſtat levius, ſi Selteranis imprimis nuptum ſit aquis. Sîc diù pergendum eſt, ut in receſſibus hepaticis nidulata bilis abluatur.

Uti & chalybeati fontes. (7.) Partibus tandem firmitatem reddunt fontes chalybeati, cum equitatione, per menſem integrum ac ultrà propinandi.

Vix agunt veſicantia. (8.) Mordax in ſumnis doloribus bilis, irrita ferè veſicantia facit, quæ niſi mobilior cauſa ſit, vix agunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

Cauſæ remotæ quartæ Curatio.

Arthritidis ac Rheumatiſmi effectus.

VItiata pars ſubtiliſſima ſanguinis, vaſis minimis nerviſque deſtinata, ſi in viſcera abdominalia ruat, nervoſque ibi ſympathicos afficiat, nauſeas, anxietates, vomitus, ructus, tormina, ſpaſmos, iliademque malorum colicos dolores concomitantium, Arthritica dicta efficit.

A Rheumatiſmo minùs ſubtili cauſâ, eadem tamen oriuntur mala.

Utraque nervos criſpat, intolerabiles facit dolores, ac poſt ſimilem miſeriarum ſeriem, in pareſim deſinit.

 (1.) Si

Digitized by Google

Quandonam juvat M. S. (1.) Si ſanguine turgentem ſubitò afficiat ægrum, plethoricum, vegetum, ſanguis mittendus eſt. Si fractæ ſint vires, miſſione ſanguinis abſtinendum.

Acria purgantia ac emetica ſemper nocent. (2.) Hic imprimis nocent acria purgantia, lethifera ſunt emetica. Ad cutim vel ad extrema ſubtilis irritans repellendus humor; his non impunè movetur. Semper infeſti miſeris mortalibus Agyrtæ, indiſcriminatim ſanguinem fundentes, alvum turbantes, hos peſſundant ægros.

Veſicantia, cucurbitulæ, ſubplantalia ilicò apponenda. (3.) Ilicò ſuris apponenda ſunt. Veſicantia, lata fiant ulcera, maneant aperta. Plantis pedum admoveantur Cucurbitulæ ſiccæ, manè ac veſperi renovandæ. Subplantalia de galbano poſt cucurbitulas applicentur. Femora, crura, pedes leni foveantur tepore. Caleant moderatè ſuperna.

(4.) Cha-

Digitized by Google

Abdomen ſiccè fovendum.

(4.) Chamæmeli, ſambucique floribus fartâ culcitrâ, ſiccâ, tepente, molli, tegatur abdomen, omni trihorio noctû diûque renovetur, minùs diſcutiente humido præſtat fotû.

Alvus leniſſimè laxanda.

(5.) Leni clyſmate, blandoque eccoprotico laxentur inteſtina, quæ hîc imprimis, ſi ſolvatur ſpaſmus, ſpontè ferè fluunt.

Lac princeps remedium.

(6.) Hydrogala, lacve purum aſininum, equinum, caprinum, hîc princeps medicamentum eſto. Hujus in nullo morbo fœlicior uſus ſatis commendari nequit.

Sub finem vinum generoſum ac lene.

(7.) Omnibus pacatis, ut reſocillentur vires, viſcerumque tonus reſtauretur, parcâ manû, ſæpiùs repetitâ, generoſum ac lene vinum exhibendum eſt. Acria, acida, ſalſa, diù vitanda.

(8.) Cu-

Digitized by Google

les, num mitti debeat ſanguis pronuntiant. Prudens auſcultat Medicus.

Fortia purgantia, ac emetica nocent.

(2.) Acria purgantia, fortia emetica minimè indicantur. Irritatione ſpaſmum augent, auctoque ſpaſmo horrenda faciunt ſymptomata, totum convellitur Corpus.

Lenia eccoprotica juvant.

(3.) Leniſſimis eccoproticis oleoſis inſiſtendum.

Veſicans abdomini apponendum.

(4.) In hocce caſû, externo abdomini apponendum eſt Veſicans promptum ac amplum, ibi ratione ſymptomatum plus minuſve detinendum. Cucurbitulæ etiam proſunt.

Mollia enemata.

(5.) Mollia enemata, infuſis floribus chamæmeli, ſæpiùs injecta indicantur.

Opium cum caphurâ.

(6.) Semi granum opii cum grano caphuræ nupti, tutò omni

triho-

Digitized by Google

trihorio, ſi urgeant dolores, repetendum, cum largo lenique ligni ſaſſafras infuſo, mirè juvat.

(7.) Curationem abſolvunt, ſulphure divites Thermæ omni medicamine præſtantiores, apud Foreſtum (*a*) harum effectûs mira obſervatio legitur. Denique ut perſpiret Corpus ritè attendendum. *Thermæ ſulphuratæ.*

(*a*) Vid. P. Foreſti obſerv. ac curat. medic. lib. 21. obſ. 15.

CA-

CAPUT XXVIII.

Cauſæ remotæ ſextæ Curatio.

Scorbutici effectus. SAlſa, alcalina, acida, ſcorbutica acrimonia, omnes inquinans humores, artuum cruciatus horrendos, doloreſque colicos pertinaciſſimâ membrorum reſolutione ſtipatos ſæpiùs efficit. Urgentiſſimum reverâ ſymptoma nuncupandi, promptâ egent medelâ colici dolores, quum nulli dentur, ratióne cauſæ, curatû difficiliores, magiſque rebelles.

Hic enim de abraſo inteſtinorum muco, ut in aliis colicis doloribus, non agitur ſolùm; ipſi, unde ſecernitur mucus, humores vel omnino vitiati vel penitùs deficientes ſunt.

Hoc

Digitized by Google

Hoc enim, quod maximè notandum ſcorbuticæ labi proprium eſt, quod mucilaginoſas ſanguinis partes deſtruat, omneſque Corporis glandulas mucoſas reddat inertes. Hinc artuum, imprimis verò juncturarum, immobilitas, lancinanteſque, noctu ingraveſcentes, fiunt dolores.

Triplex harumce ærumnarum cauſa, triplicem ut ſuperetur medendi methodum requirit, licet colici dolores unâ eâdemque curentur.

(1.) In ſcorbuto ergò, & in ſcorbuticis colicis doloribus, miſſionem ſanguinis inutilem, uno ore ſapientes Medici clamant, noxiam eſſe confirmat experientia. Vapidi enim humores acres, facilè putreſcentes, quò magis parte rubrâ ſpoliantur, eò vapidiores acrioreſque fiunt. Nec nos decipiat ſæpè tumens ſcorbuticorum vultus, incautos fallit mentiens *M. S. nocet.*

pletho-

Digitized by Google

plethoram; nec mirum ſi toties deſinat in hydropem.

Externi, interni que fotus juvant. (2.) Interna externaque abdominalia, emollientibus, pinguibus, oleoſis foveantur, diû noctûque relaxentur.

Blandiſſimis, oleoſis alvus movenda. (3.) Acria omnia cathartica vitentur, mucus enim, tunicæ villoſæ papillas nerveas defendens, non ſolùm deficit, verùm quicquid in primis viis ſupereſt humoris tantâ impraegnatur acrimoniâ, ut nervi mirum in modum irritentur, omneſque inteſtinorum nervi per conſenſum convellantur. Mannæ, Caſſiæ, oleoque amygdalarum dulcium, obtundendi cauſâ, aliquot grana gummi Tragacanthi addenda ſunt. Serum lactis ſuperbibendum juvat. Iſta, donec reſpondeat alvus pertinaciter continuanda ſunt.

Crurum ulcera juvant. (4.) Quamvis in hoc caſû non ſit tam efficax veſicantium uſus, quoties

Digitized by Google

ties immanes ſæviunt dolores, non eſt attamen ſpernendus, manantia crurum ulcera ventris tormina levant, noxiiſque humoribus, fonticulorum inſtar, exitum præbent. Equidem ulcus in pede ſpontè natum levavit morbum. Colicis doloribus devictis, ſcorbutus ipſe curandus eſt, ne, manente cauſâ, recrudeſcat effectus. Hunc morbum ſapienter tractare opus ac labor eſt, difficillimum quippe ſi endemius ſit. Hydra perpetim renaſcitur, ſi uſquàm, hîc imprimis cœli mutatio neceſſaria videtur.

(5.) Hînc fortè tam mirè juvant Medicati Fontes, ſi ubi fluunt bibantur. Qui ibi reſpiratur aër, plerùmque ſalubrior, refocillat ægros, vim aquarum promovet: omnibus aliis præſtant Chalybeatæ. *Ac Medicati fontes.*

CAPUT XXIX.

Cauſæ remotæ ſeptimæ Curatio.

Melancholiæ effectus.

PRo materie terram cum ſpiſſo ſanguinis oleo unitam, blandiore parte orbatam habens melancholia, hujus in Vaſis Hypochondriacis, Meſenterio, ac Inteſtinis ſedes eſt. Materiei tenacitas ac acrimonia, continuâ irritatione mirè afficit nervos, omniumque pertinaciſſimos ſpaſmos atque dolores efficit. Attamen notandum eſt, colicos in melancholicis dolores, haud ità acres, majori reverâ anxietate ſtipari. Vix enim dolentes, diuturnis prægreſſis anxietatibus, miſeros membris reſolutos, vidi. Nùm quia progredientes ad inteſtina nervi,

Digitized by Google

vi, illæſis papillis, diuturno ſtringuntur ſpaſmo, ſenſumque ferè amittunt ſtricti? Hoc utique verum, alvi conſtrictioni atque pareſi, raro par eſt dolor.

(1.) Dùm morbum graviorem facit miſſio ſanguinis, illum pro tempore vix leviorem efficit. Hanc colici ſpernunt dolores. Fruſtra tentatur. *M. S. inutilis.*

(2.) Cauſa quum recens non eſſe poſſit, fortiter purgantia nocent, irritant nervos, turbas excitant, piceam non movent materiem. Nec emeticorum fœlicior uſus. *Nocent purgantia ac emetica.*

(3.) Emolliente fotû addito ſapone, totum tegatur abdomen. Oleoſo, molli, leviter mellito, ſæpè repetendo clyſmate ſollicitetur alvus. *Proſunt fotus.*

(4.) Blandiſſimis eccoprotitis, ſi nauſea ferat, becabungæ ſimilive ſaponaceo ſucco nuptis, laxetur. Si le- *Blandiſſima eccoprotica.*

Digitized by Google

vis acrimonia obſtet, ſimplici ſero lactis cum Sirupo Roſarum ſolutivo moveatur. Serum lactis hîc egregiè juvat.

Balnea. (5.) Juvant & balnea quibus incoctæ emollientes herbæ, ſi modò ſint tepida, acuantur ſapone.

Linimenta. (6.) Si his omnibus reſiſtat, ut ſæpè fit, alvi ſuppreſſio, unguento arthanitæ, omni trihorio, oblinatur abdomen, dùm interim hactenùs præſcriptorum continuatur uſus.

Acidulæ. (7.) Alvo ſolutâ, tepidæ, præſtant acidulæ, nocerent frigidæ.

(8.) Equitatio, ac pertinaces abdominis frictiones mirè juvant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXX.

Cauſæ remotæ octavæ Curatio.

IN debiliſſimis Hypochondriacis Hyſtericiſve Corporibus, quorum nervea ſyntaxis valdè mobilis eſt, miros dùm edunt effectus animi pathemata, Inteſtinale Organum muci, membranæque villoſæ exhalantia nec non inhalantia vaſa ità quandoque ſtringunt, ut in cavitate inteſtinorum ſecretio atque excretio nulla ſit. Siccæ tunc papillæ neque muco neque rore defenſæ, ſi acrioribus imprimis lædantur pharmacis, mirum in modum irritantur, nervorumque conſenſû, epilepticos ipſos excitant motus. *Animi pathematum effectus.*

M. S. lethalis. (1.) In hocce caſû lethalis foret miſſio ſanguinis.

Cathartica ac emetica peſſima. (2.) Omnia peſſundarent cathartica ac emetica. Summa requiritur prudentia.

Quies conciliaanda. (3.) Animi ac corporis quies omni ope concilianda. Procul à ſtrepitû in tenebris decumbat æger. Inordinati extracto Thebaïco compeſcantur motus.

Pedes fovendi (4.) Tepida pediluvia proſunt. Emplaſtra ſubplantalia juvant. Nec inutiles, inferiora versùs, ſiccæ cucurbitulæ dantur.

Fovendum abdomen. (5.) Auxiliantur fotus abdominales externi ac interni, tepidi, non calentes, blandiſſimi.

Leviſſima ſuris veſicantia. (6.) Si motus urgeant convulſivi, rubifacientia apponantur Suris Veſicantia, haud tutè ſolvitur Epidermis, Cantharidum enim Sal acerrimus, ſi cutim penetret noxium fit,

nimiùm

Digitized by Google

nimiùm in hoc caſû irritabiles vellicat nervos, prætimeſcendoſque facit dolores. Negabunt fidem incauti, experti credent.

(7.) Potus ſit hydrogala, atque lac aſininum, cui perpetim aliquid puriſſimæ addatur mannæ. *Lac.*

(8.) Alvo ſolutâ, prudenti manû mitiſſima amica nervis paregorica nupta exhibeantur. Minimus hîc error crimen eſt. *Amica nervis paregorica.*

(9.) Denique balſamicis nervinis non ſpirituoſis, ſyſtema nervorum corroboretur. Hîc mira præſtat reſina Corticis Peruviani cum ſaccharo trita, ſi parcâ doſi ſæpiùs repetitâ lac comitetur aſininum. *Balſamica nervina.*

CAPUT XXXI.

Pareſeos Curatio.

Diuturna colica Pictonum effectus. SI naturâ vel arte diuturniores fiant dolores, perduretque ſpaſmus, ſubtiliſſimi defectû roris, nervos inter horumque vaginas, exhalantis, remotiores ſenſim occalleſcunt nervi, pari ratione ac tendines, qui ſicci, concreſcentes vaginis, rigidi, immobiles evadunt. Vaginis ſic alligati nervi atque tendines actione organicâ orbantur.

Pareſis difficillimè curatur. Maxima artuum reſolutio in ſcorbuticis adeò frequens, à deficiente nervorum atque tendinum in vaginis hærentium lubricante

ſucco

ſucco oritur. Hinc cauſa proxima pareſeos, ſucceſſivi progreſſus, variique intelliguntur gradus. Quàm ſit curatû difficilis, cur toties incurabilis, indè etiam eluceſcit.

Curationem igitur abſolvere nequit hactenùs inſtituta medela, licet enim omnia quæ fieri debebant, reſpectû abdominis facta ſint, nervi ideò tendineſve læſi minimè reſtaurantur, artuum reſolutio perdurat, devictiſque in abdomine cauſis colicæ Pictonum enarratis, harum effectus longè latèque diffuſi ſeorſim poſteà curandi ſunt. *Medelà particulari eget.*

Blandiſſimi lubricantis roris defectû in vaginis, nervos ac tendines concreſcere vidimus, curandi methodus hactenùs expoſita deficientem roris materiem equidem regenerat, exhalantia verùm orga- *Sæpè non efficaci, ſi diù duraverit morbus.*

na

na intacta relinquit. Hæc, ſi morbus diù duraverit, deſtructa penitùs non ſunt reſtauranda. Ultrà limites artis hæret malum.

Profutura, ſi recens. Si verò recens ſit morbus, nec tam altas egerit radices, reſolutos artus, emolliendo, fovendo, fricando, movendo, concutiendo, vellicando, vaſa exhalantia reſerantur, horum vis organica reſtauratur.

Eviſceratorum animalium uſu. (1.) In eviſceratis recèns animalibus reſoluti detineantur artus, tepidùs iſte fotus, cui nullus par eſt, ſæpiùs repetatur.

Thermis ſulphuratis. (2.) Sulphuratæ adhibeantur Thermæ, quarum centies exploratus conſtat effectus. Pluribus inſanis incaſsùm tentatis, pareſim quæ colico ſupervenerat dolori, Thermis

Digitized by Google

Thermis Aquisgranenſibus ſanavit Foreſtus (*a*).

(3.) Strigili leniore, panniſve laneis non aſperis, leviter in gyrum reſolutæ fricentur partes, quò frequentiùs eò meliùs. *Frictionibus.*

(4.) Bis de die, ſæpiùſque ſi ferre valeat cutis, unguento Nervino aut Martiato, addita Balſami Peruviani tincturâ, liniantur artus. Spirituoſis præſtant pinguia. *Nervinis unguentis.*

(5.) Galbani, ſagapeni, opopanacis, ammoniaci gummi balſamo de Meccâ vel Peruviano nuptum, repetitis vicibus, parvâ copiâ ſimul exhibitum, diù continuatum, mirè prodeſt. *Gummoſis balſamicis.*

(6.) Profunt & vina lenia, generoſa, *Balſamicis, vinis.*

(*a*) Vid. P. Foreſti obſerv. ac curat. Medic. lib. 21. obſ. 15.

Digitized by Google

neroſa, parcâ miniſtrata manû, Canarinum, Malvaticum, Maderenſe, Græcumve palmam omnibus præripiunt.

Coeli mutatione. (7.) Mira efficit cœli mutatio, ſi temperatum ſit, aërque ſpiretur ſalubrior, humidus frigiduſque nocet.

FINIS.



CA-

Digitized by Google

CAPITUM ARGUMENTA.

CAPUT PRIMUM.

Dolor ventris, quando & unde colicus dictus. pag. 1.

CAPUT SECUNDUM.

Dolor colicus, quando & unde Pictonum dictus. 4.

CAPUT TERTIUM.

Colici apud Pictones doloris deſcriptio. 6.

CAPUT QUARTUM.

Idem colicus dolor ſæpiùs ante Citeſium deſcriptus. 8.

CAPUT QUINTUM.

Colicus dolor Pictonum, poſt Citeſium rarò deſcriptus. 23.

CAPUT SEXTUM.

Doloris colici, hodie Pictonum dicti deſcriptio. 35.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Colici doloris Pictonum cauſa proxima. p. 39.

CAPUT OCTAVUM.

Colici Pictonum doloris cauſæ remotæ. 43.

CAPUT NONUM.

Cauſa remota prima. Reliquiæ febrium imperfectâ criſi ſolutarum, vel non benè curatarum. 45.

CAPUT DECIMUM.

Cauſa remota ſecunda. Venena. 54.

CAPUT UNDECIMUM.

Cauſa remota tertia. Vini potûſque acido auſteri, fermentati, acidorumque immaturorum nimius uſus. 72.

CAPUT DUODECIMUM.

Cauſa remota quarta. Arthritis, ac Rheumatiſmus. 86.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Cauſa remota quinta. Impedita perſpiratio. 92.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Cauſa remota ſexta. Scorbutus. 98.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Cauſa remota ſeptima. Melancholia. pag. 102.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Cauſa remota octava. Animi pathemata. 107.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Diagnoſis Colicæ Pictonum. 112.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Prognoſis colicæ Pictonum. 114.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Anatomica Cadaverum inſpectio. 116.

CAPUT VIGESIMUM.

Symptomatum Colicæ Pictonum brevis dilucidatio. 120.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Spontanea quæ naturâ fit Colicæ Pictonum curatio. 141.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Colicæ Pictonum curatio arte facta. 143.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Cauſæ remotæ primæ curatio. 145.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.
Cauſæ remotæ ſecundæ curatio. pag. 151.
CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.
Cauſæ remotæ tertiæ curatio. 155.
CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.
Cauſæ remotæ quartæ curatio. 159.
CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.
Cauſæ remotæ quintæ curatio. 163.
CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.
Cauſæ remotæ ſextæ curatio. 166.
CAPUT VIGESIMUM NONUM.
Cauſæ remotæ ſeptimæ curatio. 170.
CAPUT TRIGESIMUM.
Cauſæ remotæ octavæ curatio. 173.
CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.
Pareſeos curatio. 176.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google